SUPPL. B 61059/B

ACTA

INSTITUTI CLINICI

CAESAREAE UNIVERSITATIS

VILNENSIS

AUCTORE

JOSEPHO FRANK

AUGUSTISSIMO IMPERATORI ET TOTIUS RUSSIAE AUTOCRATORI A CONSILIIS AULICIS, THERAPIAE SPECIALIS ET CLINICES IN CAESAREA UNIVERSITATE VILNENSI PROFESSORE, SOCIO SOCIETATUM PHILANTHROPICAE PETROPOLITANAE, PHYSICO-MEDICAE MOSQUENSIS. MEDICAE, NUTU AC AUCTORITATE ALEXANDRI PRIMI NUPER VILNAE STABILITAE, COLLEGII MEDICORUM VENETI, SOCIETATIS AGRICULTURAE STUDIOSORUM FLORENTINAE, SCIENTIARUM ET ARTIUM ARGENTORATENSIS, ACADEMIAE MEDICAE, SOCIETATUM GALVANICAE ET MEDICAE PARISINAE, R. JENNERIANAE, MEDICORUM ET NOSOCOMII A GUYO LONDINI NOMEN HABENTIS etc. etc.

ANNUS PRIMUS.

LIPSIAE, 1808.

IMPENSIS BIBLIOPOLII SCHAEFERIANI.

PRAECLARISSIMO PRINCIPI

ADAMO CZARTORYSKI

AUGUSTISSIMO IMPERATORI ET TOTIUS RUSSIAE AUTOCRATORI A CONSILIIS INTIMIS, SENATORI, PRAESIDII INSTRUCTIONIS PUBLICAE GENERALIS MEMBRO, ACADEMIAE CAESAREAE VILNENSIS CURATORI, ORDINUM ST. ANNAE ET ST. JOANNIS HIEROSOLOM. EQUITI etc. etc. etc.

LIBRO

INGENIO, DOCTRINA, VIRTUTIS LAUDE FLORENTISSIMO

LIBELLUM HUNC

D. D. D.

JOSEPH FRANK.

Introductio.

Quemadmodum labores, a Caesarea Academia Vilnensi suscepti, doctorum hominum totius orbis attentionem ad se trahunt; ita et labores, in Clinico illius Instituto exantlatos, a medicis consideratum iri, mihi saltem adulor. Quamobrem res gestas in hoc instituto quotannis typis committere statui. En annum primum. Incipit a mense Septembris MDCCCV. dum cathedram therapiae specialis et clinices in hac celeberrima Universitate conscendi, et terminatur ultima Junii die MDCCCVI, quo tempore feriae ordiuntur.

Quum decem abhinc annis has ipsas scientias, non sine commendatione reor, in Regia Universitate Ticinensi docuerim; quum mihi postea in nosocomio magno, quod Vindobonae est, dum ibi officio medici primarii per octo annos fungerer, immenso aegrorum numero interesse licuerit; quumque tandem methodum, qua clinice in praecipuis nosodochiis Germaniae, Galliae, Angliae, et Scotiae do-

cetur, cognoscendi et medicorum potiorum societati ac laboribus interveniendi felix occasio mihi oblata fuerit; videri hinc posset, me munus, praxin medicam in celeberrimo Vilnensi Athenaeo, tum ex cathedra, tum ad ipsos aegrorum lectulos docendi, fidenter suscepisse. Ast nil a veritate magis alienum! Dum enim perpendi, *Augustissimo Imperatori et totius Russiae Autocratori*, ALEXANDRO PRIMO, tantum in me fiduciae fuisse, ut mihi officium, medicos practicos pro octo vastissimis, fertilissimisque *Sui* Imperii provinciis instituendi, conferre non fuerit dedignatus; atque igitur praecepta, quae tyronibus traditurus eram, de sorte millenorum civium, praesentis non modo, sed ex parte etiam futurae generationis, decisura fore, contremuit omnino animus.

Tam grave igitur concreditum munus expleturus, quae via mihi ineunda esset, serio atque dies noctesque consideravi. Fateor equidem institutionem medicam, qua me juventute prima parens optimus, *Ioannes Petrus Frank*, imbuerat, consiliaque ejus prudentissima, ex quibus vel post absolutum curriculum academicum fructus percepisse maximos gaudeo, haud impedire potuisse, quin ea aetate, qua fervens imaginationis aestus saepe nimis rationem imperio suo subiicit, a fluxo systematis cujusdam nitore obcaecatur, a recto tramite aliquantis-

per aberraverim. Quamvis enim ingeniosissimum *Ioannis Brunonis* systema nunquam omni ex parte amplexusfuerim, sed e contra plures in eo contentos errores evulgaverim (in quam rem opera, tum in Italia, tum in Germania a me typis commissa, amplissimum sunt testimonium); et quamvis hodiedum adhuc in ea verser opinione, hoc systema nonnulla praecepta in praxi medica perutilia exhibere: dicam tamen candide, me illi longe nimis tribuisse, ac in eo praecipue errasse, quod scilicet crediderim, scientiam medicam posse systematis limitibus contineri et excoli. Ast sanctus veritatis amor, atque data naturae mysteria in morbis observandi opportunitas, ab aeterna animi caecitate me defenderunt. Statim ac igitur oculos ad perennem naturae lucem converti, vinculorum me puduit, quibus, licet non tenaciter, systematis me amor obligaverat. Quapropter iis abjectis, ac libertati restitutus, quid me in arduo opere, praxin medicam exercendi, suffulciret, anxie quaesivi. Observatio et ratio, hi duo medicinae cardines, sese quaerenti obtulerunt. Ambosque systematum medicinalium sectatores magna ex parte effugere, tandem cognovi. Genuina enim observatio ibi desit, oportet, ubi observatoris judicium a praeconcepta opinione ducitur; nec sana ratio ultra limites experientiae procedit. Hujusmet autem limites in rebus medicis sta-

tuere, magni ingenii tantum labor esset: nisi summi in arte viri, inter quos sufficiat *Hippocratem, Sydenhamum* et *Baglivium* commemorasse, id jam absolvissent. Legant, iterum iterumque legant illorum opera, qui veram medicinam, artem scilicet reipublicae et aegrotantibus salutarem, addiscere cupiunt. Videbunt, maximos illos viros a judicio circa causas proximas morborum, atque reconditas medicamentorum actiones, fere omnino se abstinuisse; et in phaenomenis morbosis accurate describendis, remediorumque effectibus, pro varia rerum positione variis, sedulo determinandis totos fuisse. Omnes interea, qui medicam artem praeceptis utilissimis deinceps locupletarunt, hoc exemplum sunt secuti.

Quaenam vero sors illorum fuerat, qui variarum fundatores sectarum in campis imaginationis delectati, innumeras hypotheses circa causas proximas morborum, et reconditas medicamentorum actiones, construxere, medicinae historia abunde docet. Quodsi illorum opera oblivioni tradita non sunt, hoc observationibus tantum, quibus hypotheses illae intermiscentur, tribuendum. Et quisnam medicorum non libentius opera *Galeni, Caelii Aureliani, Fr. Hofmanni, Boerhaavii, Cullenii* aliorumque perlegeret, si meras obser-

vationes, quibuscunque hypothesibus orbatas, continerent?

Attamen non inficior, hypotheses a systematum auctoribus jactatas, sat pulchre de plurimis morborum phaenomenis rationem reddere, atque probabilitatis saltem notam offerre. Hypotheses, exempli gratia, de vitiis humorum, quae pathologiae, sic dictae, humorali pro basi inserviunt, in plurimis morbis chronicis, praesertim cutaneis, confirmari videntur. Eodem modo principia medicinae, si ita dicere liceat, mechanicae, nonnulla phaenomena, quae in haemorrhagiis et obstructionibus viscerum contingunt, perbelle dilucidant. Idem de principiis chemicis, relate ad scorbutum et diabeten, dicendum. Et ipsa tandem incitationis theoria, quasdam affectiones aperte ex virium jactura vel excessu provenientes, modo vero saltem simili explicat. Quamobrem „sicuti apis quovis ex flore mellis quidquam sugit, ita et medicus in cujusvis systematis *nectario* boni quid invenire potest.“ Immo non magni facerem medicum, qui hodierno die, varias praecipuorum auctorum circa proximas morborum causas medicamentorumque reconditos agendi modos, excogitatas theorias ignorasset, aut eas, ac si nunquam extitissent, respiceret.

Verum, aliud est, hominum ingeniosorum

opiniones, tanquam veritati proximas considerare, ac eas quodammodo etiam sequi, ubi ab experientia confirmari videntur; aliud est, eas pro certis atque tutis therapiae fundamentis habere, illisque aegrorum vitam submittere. Ita tamen agunt, qui opinionibus, a se de intima morborum natura excogitatis, indicationes therapeuticas superstruunt, ac hisce indicationibus ope remediorum, cui illorum imaginatio varios agendi modos tribuit, satisfacere satagunt. Quare *Baglivius* sapienter dixit: „si „quid majori correctione indiget in praxi me„dica, jure merito sunt indicationes, quae fal„sis hodie hypothesibus innixae, nil aliud no„bis exhibent, quam inania speculationum ar„gumenta. Galenistae, ab humorum quater„nione singulorum causas deducentes, eandem „fabulam in iis curandis semper agunt *).“ Sed quorsum ex longinquo exempla quaererem? Nonne fere quotidie ex ore jatro-chemicorum et asseclarum *Brunonis* indicationes, sive oxygenandi, sive excitandi etc. audimus? Et nonne, quoties talia contingunt, toties remedia, quibus hypotheses variae varias virtutes tribuerunt, in usum deducta videmus?

Nil magis ad hos errores perpetuandos, quam nomenclatura medica, confert. Varia

*) Op. omnia. Praxeos medicae lib. II. cap. X. §. II. p. 118.

enim nomina, quibus morbi insigniti fuere, ut illa, verbi gratia, febris putridae, sthenicae, asthenicae, evidenter satis hypotheses, quae de morborum causis proximis excogitatae fuere, produnt. Quapropter tyronibus non satis inculcandum esse existimo, nomina morborum hujusmodi nequaquam eorum intimam naturam designare, nec indicationibus formandis inservire posse. Tunc enim idem fere erit, hac aut alia nomenclatura uti.

Rebus ita se habentibus, maxima illa in praxi medica quaestio oritur: undenam, scilicet, indicationes therapeuticae desumendae sint? Quamvis observationes, quae praesenti opere continentur, abunde ostendant, quomodo huic quaestioni respondendum esse rear; et quamvis hic locus non sit, argumentum tanti momenti eo, quo decet, modo pertractandi; nihilominus pauca nunc circa illud eo libentius praemittam, quo ita Lectori benevolo facilius licebit, sibi ideam de regulis, quas in exercitio artis medicae sequor, effingere.

Fontes indicationum potissimi, atque, quoadusque id fieri licet, certissimi, mihi consistere videntur primo, in experientia principum medicorum, atque unicuique medico propria circa diversas methodos pro variis positionibus in morbis; habito tamen respectu, ad eorum symptomata non solum, sed ad eorum

causas, sive praedisponentes, sive excitantes; secundo in observatione juvantium et laedentium; atque tertio in consideratione constitutionis annuae.

Indicationes primo ex fonte, certe non cuique concessum est haurire. Tyrones praesertim hunc fontem tunc tantum attingere poterunt, cum sors propitia eos, in praxi medica addiscenda, manibus ducis alicujus commiserit, qui, operum medicorum classicorum perfecte gnarus, ex iisdem praecepta aurea hauriat, atque ea quotidie ad ipsos lectulos aegrotantium, cum propriis observationibus comparando, ad trutinam revocet, ac tandem ex prospero eventu vera demonstret. Agnoscent tunc tyrones, nonnullos dari morbos, (febres continuas scilicet plurimas, exanthemata fere omnia, etc.) qui quocunque in casu decursum proprium absolvere debent, quique, ubi hoc regulariter contingit, vix aut ne vix quidem medicamenta expostulant. Perpendent, indicationem hoc in casu methodum expectativam designare, ac medico, praeter consilia, quorum ope pericula aegros circumdantia avertuntur, vix quidpiam faciendum superesse. Cognoscent porro, varias interdum res decursui regulari horum morborum obstare, ipsumque morbum aliquando a recto tramite aberrare, atque auxilium tunc medicamentorum, quorum actio

alias sub simili statu utilis reperta est, tamdiu postulare, quamdiu ordo, indoli morbi proprius, desideratur. Animadvertent contra ea, haud paucos morbos exstare, (uti febres intermittentes perniciosae, inflammationes viscerum, cholera etc.) qui, sibi ipsis derelicti citissime mortem properant, et in quibus indicatio generosa et a diuturna experientia comprobata remedia exposcit. Palam iis fiet, infinitas dari passiones, (exemplo sint morbi chronici plurimi) quae tunc solum vinci possunt; cum medicus summa cum patientia indicationes sequitur, quae veritati proximiores videntur, ac saepe ex sola analogia petitas, quaeque alias prospera sunt usae fortuna. Cognoscent postremo, saepe saepius nullam aliam indicationem inveniri posse, praeter eam, quae in arte non nocendi, vitamque protrahendi, nec non symptomata graviora leniendi, consistit.

Hic est, scilicet, in morbis chronicis, et in illis, in quibus curae palliativae tantum locus conceditur, ubi indicationes inprimis ex juvantibus et nocentibus desumi possunt. Periculum quidem, levamen, a variis remediis pro tempore tantum ac dolose productum, cum constantibus illis et desideratis effectibus confundendi, iis, qui hanc indicationem inconsiderate sequuntur, non raro sese offerre posset, nisi haec ipsa periculi cognitio, attentaque re-

rum consideratio illud magna ex parte averterent. Quamobrem et in ipsis morbis acutis ex juvantibus et laedentibus plurimas indicationes salutares ab iis desumi posse, opinor, quos decursus consuetus horum morborum, eorum scilicet initium, incrementum, acme, decrementum, exacerbationes et remissiones, ab effectu medicamentorum probe distinguenda, non latent.

Ex anni constitutione tertium indicationum fontem desumi, nemo est, qui dubitet. In aeternum memorabilia illa *Sydenhami* verba erunt: „Hoc saltem pro comperto habeo ex „multiplici accuratissimarum observationum „fide, praedictas morborum species, praeser„tim continuas, ita toto coelo differre, ut, qua „methodo currente anno aegrotos liberaveris, „eadem ipsa, anno jam vertente, ipsos forsan „e medio tollas.“ Et ubi paulo post subjungit: „proinde nisi ingenti adhibita cautela, inten„tisque omnibus animi nervis, vix ac ne vix „quidem possum efficere, ne unus aut alter „eorum, qui se primi meae curae commiserint, „vita periclitetur, donec investigato jugiter tan„demque perspecto morbi genio, ad eundem „perdomandum recto pede et intrepidus denuo „procedam *).“

*) *Sydenhami* Opera medica. Sectione prima. Cap. II. de morbis epidemicis. p. m. 21 sq.

Nec minoris momenti sunt, quae celeberrimus *Stollius* de indicationibus ex constitutione annua petendis exposuit *). Opera horum virorum sedulo perlegendo, facile intelligimus, cur contra plurimos morbos, qui eundem adspectum referunt, ac iisdem salutantur nominibus, tot variae inter se methodi ab omni aevo cum fructu adhibitae, hincque a gravissimis auctoribus, non sine apparente contradictione, commendatae fuerint. Quare nunquam satis me tyrones monere posse existimo, ne scilicet credant, methodum, in clinico instituto hoc currente anno, praecipue contra morbos febriles, feliciter adhibitam, et temporibus futuris in iisdem morbis eodem pacto profuturam esse.

Liceat mihi expositas de fontibus indicationum observationes, verbis *Baglivii* terminare: „Fateor denique neminem tam cito, feliciter„que indicationes curativas in morbis detectu„rum fore, quam qui diuturna edoctus praxi, „genios illorum praecipuos, variosque inva„dendi et declinandi modos, iterum atque „iterum observaverit, multo magis si antece„denter se exercuerit in lectione librorum prae„ceptis et cautionibus abundantium, quales sunt „nuper laudati, iisque analogi. Quibus omnibus „si accedat foecunda quaedam et mascula men-

*) *Stoll* Ratio medendi. T. III.

„tis vis, qua morborum motus antecedentes, „praesentes, subobscuri, late patentes, se ex- „cipientes, aliique mirabili quadam detegan- „tur solertia, de indicationibus profecto solide „judicabit *)."

Hisce in medium allatis, priusquam ad res hoc in instituto gestas exponendas accedam, superest, ut breviter de ipso instituto, de illius nempe origine, progressibus, dispositione et ordine loquar; utque postremo loco observationes nonnullae, topographiam physico-medicam Vilnae respicientes, hujusce introductionis finem faciant.

Vix peracta instauratione huius inclytae scientiarum Universitatis, nil magis Magnifico ejusdem Rectori, *Hieronymo Stroynowski*, nominato Episcopo Luceoriensi, cordi fuit, quam novo beneficio, clinico scilicet instituto, hanc musarum sedem locupletare. Pro illius igitur moderatore et Professore *Joannes Petrus Frank* delectus fuit, qui eodem prorsus officio tribus in celeberrimis Academiis, quae Gottingae, Ticini, et Viennae sunt, functus antehac erat, eodemque nunc et Petropoli fungitur. Quum nosocomia, quae Vilnae sunt, opportunitatem clinicum institutum in iis erigendi non exhiberent, ne tempus, quod dis-

*) l. c. §. VII. p. m. 225.

cipulorum profectui dari poterat, in novo nosodochio condendo tereretur; domus ampla, decem millibus aureorum ab Universitate empta fuit, et hujusmodi scopo ad interim dicata. Pars huius domus posterior, quae inter duo spatiosa ponitur cavaedia, quaeque in orientem spectat, curandis aegrotantibus fuit destinata. Ut ipsi ibi custodirentur, quinque electa sunt cubicula, quorum duo binos, cetera ternos lectulos continent. Fulcra lectulorum ferrea. Grabatus quilibet straminea culcitra, alboque stragulo, ut facilius sordes inspici detergique possint, instruitur.

Aegroti tum ex propinquo nosocomio, quod Sororum misericordiae vocatur, quodque circa centum et quinquaginta infirmos continet, tum ex privatis pauperum domibus excipiuntur. Priusquam autem lectulis committantur, vestes proprias deponere et statim, ac lavati atque omni ex parte mundati sint, indusia clinici instituti propria sibi inducere tenentur. Hisce vero peragendis cubiculum peculiare, in quo lectus adservatur, si quando eo extra ordinem opus sit, est destinatum. Nec deest porro conclave, in quo commilitones, ne aegrotantibus molestiam afferant, aut semet ipsos aëri nosocomiali diutius, quam absolute requiritur, exponant, adventum professoris expectare solent.

Ad pericula contagionis magis magisque avertenda, morbi febriles a morbis chronicis segregati fuere. In cubiculis hisce primis dicatis, dum febres revera contagiosae recipiuntur, suffimenta acidi muriatici oxygenati, inventore excellentissimo Viro *Guyton-Morveau*, aut, si aegri affectionibus pectoris simul laborantes ab iisdem laedantur, ea acidi nitrici, duce C. M. *Smith*, instituuntur.

De cellis, quae cibis parandis, linteis abluendis, inserviunt, nec non de promptuario, non loquar. Ut diaetam autem, in hoc instituto antea acceptam, tum simpliciorem, tum gustui nostratum gratiorem, redderem, eam quibusdam mutationibus subjeci. Victus omnis dividitur scilicet bifariam; alius aegrotantibus, alius convalescentibus, aut iis valetudinariis, qui victu lautiori uti possunt, praebetur. Diaeta aegrotantium ita constituta est, ut medicus eam pro unoquoque aegro speciatim determinare debeat. Opportuna igitur juscula, nunc e vegetabilibus, nunc ex carne parata, nunc mixta, toties in die, quoties id necessarium censetur, porriguntur. Non aliter res se habet relate ad carnes juniorum animalium, ad olera pro anni temporibus, ad lac, ad cerevisiam, vinumque, tam gallicum, quam hungaricum sive malacense, nec non ad panem. Hic rerum ordo, qui in ordinario magnoque

nosocomio minime adoptari posset, instituto clinico perbelle convenire videtur. Ex eo enim fit, ut tyrones regimini diaetetico attentionem suam, prout res tanti momenti exigit, praebere coacti sint, atque professori amplam opportunitatem, de cibis, unicuique morbo speciatim accommodatis, disserendi, offerat. Victus convalescentium aut aegrotorum, qui diaetae minus strictae traduntur, simplex admodum est. Licet enim cibi et hic seligantur, attamen non multum differunt ab iis, quibus homines, qui clinices institutum adire solent, domi utuntur; ut ita scilicet ad pristinam vivendi rationem sensim sensimque reducantur. Diaeta enim, de qua sermo est, offert pro jentaculo libram unam jusculi cujusdam ut plurimum avenacei cum semilibra panis fermentati secalini; pro prandio jusculum saepe aciduluum, utpote nostratibus valde carum, ad libras circiter duas, cum simili portione olerum, non excepto solano tuberoso, et semilibra carnis bubulae, panisque libra una; pro coena jusculum et panem uti pro jentaculo, ac alternatim ferculum ex interraneis, aut ex farina, oryza et similibus. Potus ordinarius aqua, nisi medicus aliter jubeat. Frequenter cerevisia tenuis, raro vero alcohol conceditur.

Medicamenta ex officina medicamentaria, ad academiam nostram pertinente, cui ipse

praefectus sum, pro clinico instituto desumuntur. In ea Vir, tam in botanicis, quam in rebus chemicis versatissimus, ingenio autem, diligentia, morum honestate et doctrina conspicuus, *Joannes Wolffgang*, officio pharmacopolae fungitur. Medicamenta omnia pro clinico instituto a tyronibus *magistraliter* praescribi debent. Semper enim in ea versatus sum opinione, Pharmacopoeas magnis quidem nosocomiis perutiles esse, minime vero clinicis institutis, ubi res singulae, uti in praxi privata, peragi debent, convenire. Ut tandem pretium medicamentorum tyrones nunquam lateat, utque difficilem artem, medicamenta domesticis aegrorum conditionibus accommodandi, mature discant, cujuslibet medicinae pretium signaturae apponitur.

Nostrum insuper clinicum institutum balneis, licet ab habitatione aegrorum paululum remotis, et cella pro depositione cadaverum instruitur. Haec ultima tempore hyemali calefit, atque cadaver per viginti quatuor horas lectulo committitur. Illius manus et pedes funibus, qui per murum proximum cubiculum custodis intrant, ac ibi tintinnabulum attingunt, alligantur; ut scilicet in casu asphyxiae redeuntis vitae statim notitia habeatur.

Sectio cadaverum in theatro anatomico aut ab Illustri Professore *Andrea Lobenwein* aut

ab egregio Prosectore *Joanne Braun* publice suscipitur. Res memorabiles, per cadaverum sectiones inventae, domum, cujus vel clinicum institutum pars est, deportari solent. Hic enim conclavia duo, prope therapiae specialis scholam, museo pathologico inserviunt. Praeparata non, uti vulgo, armariis committuntur, sed sicuti in Museo Regio, quod Berolini est, mensis ita imponuntur, ut omni ex latere considerari queant.

Methodus, praelectiones ad lectos aegrorum habendi et ipsos aegros curandi, ab ea non differt, quae in institutis clinicis Ticinensi et Viennensi observatur, quamque ipse alibi fusius descripsi *).

Clinicum Institutum, de quo sermo est, die prima Martii MDCCCV sub auspiciis parentis mei fuit adapertum. Aegrorum numerum, ex eo tempore usque ad finem Junii ejusdem anni curatorum, morborumique, quibus afficiebantur, naturam sequens tabula exhibet.

*) Ratio Instituti Clinici Ticinensis. Auctore Jos. *Frank*. Viennae 1797. p. 5. sq.

Character morborum.	susce-pti	sana-ti	trans-lati	mor-tui
Cum Febre intermittente .	4	4		—
— Typho et Febre nervosa	24	22	—	2
— Febre gastrica	4	4	—	—
— Febre catarrhali et rheumatica	17	17	—	—
— Psorophthalmia chronica scrophulosa . .	1	1	—	—
— Cynanche	2	2	—	—
— Peripneumonia . . .	16	15	—	1
— Phthisi laryngea . .	1	—	—	1
— Phthisi pulmonali . .	2	1	1	—
— Pleuritide	1	1	—	—
— Enteritide	1	1	—	—
— Erysipelate faciei . .	2	2	—	—
— Metrorrhagia . . .	1	1	—	—
— Rheumatismo chronico	1	1	—	—
— Cephalaea	2	2	—	—
— Otalgia	1	1	—	—
— Dolore chronico in regione epigastrii . .	1	1	—	—
— Chorea S. Viti . . .	1	1	—	—
— Hysteria	1	—	1	—
— Mania	1	—	1	—
— Paralysi	2	—	1	1
— Asthmate	1	—	—	1
— Hydrope	2	—	—	2
— Lue venerea	4	4	—	—
— Scorbuto	1	1	—	—
— Trichomate	1	1	—	—
Summa	93	83	4	8

Aegrotorum curationem a me hoc anno, a mense scilicet Septembris anni MDCCCV ad finem Junii MDCCCVI usque, post discessum patris susceptam sequens tabella exponit.

Character morborum	susce-pti	sana-ti	Ex par-te sub-levati	mor-tui
Cum Febre catarrhali et rheumatica	34	34	—	—
— Typho	38	35	—	3
— Febre gastrica . . .	4	4	—	—
— Febre intermittente . .	1	1	—	—
— Variolis	1	1	—	—
— Morbillis	2	2	—	—
— Erysipelate faciei . .	2	2	—	—
— Encephalitide . . .	1	1	—	—
— Apoplexia	1	1	—	—
— Mania	1	1	—	—
— Peripneumonia . . .	15	15	—	—
— Phthisi	4	—	2	2
— Hepatitide	1	1	—	—
— Ictero	3	2	1	—
— Hydrope	2	1	—	1
— Diarrhoea	2	2	—	—
— Taenia	1	—	1	—
— Peritonitide	2	2	—	—
— Metritide	1	1	—	—
— Conceptione in ovario	1	—	—	1
— Puerperio	2	2	—	—
— Hysteria	2	2	—	—
— Epilepsia	1	—	1	—
— Rheumatismo chronico	5	4	1	—
— Lue venerea	5	2	3	—
— Epididymitide . . .	1	1	—	—
— Herpete universali . .	1	1	—	—
— Cancro penis	1	1	—	—
Summa	135	119	9	7

Antequam de morbis hic enumeratis rationem reddam, liceat mihi nonnulla, ad *topographiam physico-medicam Vilnae* pertinentia, et quorum cognitionem inprimis Il-

lustrissimis Astronomiae, Historiae naturalis, et Chemiae Professoribus DD. *Reszka*, *Jundzill* et *Andreae Sniadeki* debeo, in medium afferre.

Princeps Lithuaniae urbs *Vilna* ampla in valle, quam colles arenosi ac argillosi circumdant, ubi rivulus *Vilenka* in flumen *Viliam* confluit, sita est. — Superficies soli arenosa, paulo tamen profundius, ubique strata variae densitatis argillae rubrae, ad lateres conficiendos maxime idoneae, inveniuntur. Ast meridiem versus extra urbem, in loco, qui *Popławy* dicitur, prata subpaludosa adjacent oris memorati rivuli Vilenka. Rivulus hic quatuor magnae molis molendina movet, quae urbi abunde tritici farinam administrant. Loco quodam altiore ac urbi proximiore, magisque occasum versus posito, fontes *Węgry* nuncupati, extant, qui magnae urbis parti aquam quammaxime puram (continet nempe pauxillum tantum muriatis calcis et gaz acidi carbonici et largam gaz oxygenii portionem) suppeditant. Aqua autem puteana praeter sulphatem calcis, magnam quantitatem carbonatis calcis et magnesiae continet, quapropter nec potui, nec usui domestico facile inservire potest.

Suburbana fere omnia agris culturae seca-

lis dicatis finitima sunt. Secale eo facilius ibi vegetat, quum terra abunde stercore foveatur. Stercus autem variis in locis in viciniis urbis ita accumulatum esse dolemus, ut aër pessimo sane odore inquinetur.

Colles vicini aliaque loca colendo secali minus idonea, armentorum pascui inserviunt. Nemora pino sylvestri, pino abiete, tilia europaea, betula alba, quercu robore, et fruticibus, exempli gratia, crataego oxyacantha, rhamno cathartico, aliisque similibus scatentia urbi ipsi adjacent. Flora nostra orchidibus abundat, inter quas orchis conopsea, ustulata, ophrys monorchis, corallorhiza, nidus avis, Loeselii, antropophora, orchis bifolia, satyrium nigrum, viride, epipogium, cypripedium calceolus, serapias rubra, latifolia, et orchis cucullata, notari merentur; quae ultima secundum opinionem celeberrimorum herbariorum in Siberia tantum crescit, quum tamen nuper a praelaudato D. *Wolffgang* et in viciniis Vilnae detecta fuerit.

Pauci vero dantur apud nos horti, qui fructus offerant. Raro enim industria civium climatis rigiditatem vincere valet. Ubi hoc efficitur, poma et pira divitum mensas ornare solent.

Stricte loquendo per duos tantum menses, Junii scilicet et Julii, aestate fruimur. Thermometrum Reaumurianum tunc saepe gradum vigesimum quintum caloris attingit, vel etiam excedit. Atmosphaerae tranquillitas raro tonitru perturbatur. Quod si vel mense Maii et Augusti nonnunquam gradus viginti tres caloris observantur, hoc non impedit, quominus saepius et tres gradus frigoris notentur. Haec mutabilitas saepe spatio paucarum horarum accidit. Hyemis autem in aestatem conversio rapida adeo est, ac tam incredibilis celeritas in tota vegetatione observatur, ut vix aut ne vix quidem veris teporem experiamur. Contra vero temperies alias autumno propria magis quam in aliis regionibus protrahi solet, cum ad menses Martii, Aprilis, Septembris, Octobris, et Novembris excurrat. Hyems proprie dicta a mense Decembris usque ad Februarii finem procedit. Raro tunc frigus gradum vigesimum quintum excedit; attamen anno *MDCCLXXXVI* die vigesima septima Februarii in ipsa urbe thermometrum ad trigesimum fere gradum deprimebatur. Interdum vero frigus non ultra sedecim gradus progreditur.

Venti inconstantes admodum et inter se saepe oppositi. Qui ex meridie et oriente, vel qui ex septentrione et oriente perflant,

prae ceteris dominantur. Eorum alter aestivo tempore calorem pluviamque, ceteris vero anni partibus humiditatem inducit; alterum vero frigora comitantur. Ventus ex septentrione et occidente veniens hyeme frigus, et aestate siccitatem affert; ille, qui ex meridie et occidente oritur, perpetuo coelum serenat.

Quis Vilnae incolarum numerus, cujus sint religionis, quae demum intra annum *MDCCCV* ratio natos inter et vita functos intercesserit, sequens tabula ostendet.

Religionis	Ex integro	nati	mortui
Catholicae	22494	1137	881
Graecae	664	50	71
Evangelicae	570	57	47
Reformatae	128	11	6
Judaicae	11495	529	623
Mahumedanae	63	4	2
Summa	35414	1788	1630

Magna civium pars quemadmodum et aliis in urbibus ad labores societati necessarios incumbit. Nulla tamen opificia Vilnae praesto sunt, in quibus ingens hominum copia tum pannis texendis, tum aliis ad vitae com-

moda necessariis rebus condendis, simul operam navet; quod in regione, quae omnes divitias ex agricultura depromit, mirum videri non debet.

Plebs non nisi in abusu alcohol laborum suorum levamen invenire solet. Cibis vero simplicissimis, iisque ut plurimum acidis vescitur v. gr. brassica oleracea et beta vulgari, lardo sive oleo conditis. Quo tempore fungi erumpunt, abunde iis utitur, praecipue vero boleto bovino (*Borowik*) et agarico delicioso (*Rydz*). Pro potu ordinario varios liquores fermentatos adhibet, qui tum ex farina secalis (*Kwas*), tum ex lympha betulina conficiuntur.

Pauperum tuguria angusta, inquinata, ac fumo illita esse solent. Ipsa urbs plurimis haud inconsuetis semitis et amplis nonnullis viis et aedibus instruitur, atque in dies magis magisque his exornatur. Si loca a Judaeis pauperioribus habitata excipiantur, mundities in ceteris non omnino negligitur.

Vilna nullo morbo endemico affligitur. Trichoma, sive plica sic dicta polonica, hic longe minus, quam ad Vistulae litora grassatur. Hoc tamen non impedit, quominus aliquando praecipuum in morbis chronicis

reconditioribus passum sibi vindicet, propter-eaque medicorum attentionem expostulet. Rheumatismus, fluor albus, et haemorrhoides, communiores morbi sunt. Idem, eheu! de phthisi pulmonali et de scrophulis dicendum. Chlorosis raro occurrit, quod, nisi fallor, et de scirrho uteri dici potest. Morbi venerei abundant. Debacchantur vero magis adhuc ruri variis in pagis, atque ibi per simplex hominum commercium, sine coitu, contrahi videntur, adinstar morbi, in Canada et in Scotia sub nomine *Sibbens*, et nuper sub eo *Scherlievi* in Dalmatia desaevientis *). Typhus raro Vilnae grassari solet, si vero id accidat aliquando, militibus hoc transeuntibus ut plurimum tribui debet. Milites enim nequaquam commune habent domicilium, sed a civibus, non sine maximo eorum incommodo, in propriis domibus excipi debent. Variolae hinc inde strages edunt, nam innumera opinionum commenta vaccinationis incremento, inprimis inter Judaeos, adversantur. Scarlatina raro saevit, et uti referunt, nunquam maligna inter incolas fuit. Psora frequenter inprimis plebem sordidissimam Judaeorum adoritur.

Quatuor huius urbis nosocomia civilia

*) Jos. Frank's Reise nach Paris, London etc. 2 Bände. Wien 1805.

longe ab eo perfectionis gradu distant, qui describi mereatur. De carceribus nisi loquar, venia mihi est concedenda. Coemeteria extra urbem sunt posita.

Dabam Vilnae mense Septembris
A. MDCCCVI.

Caput I.

Febres catarrhales et rheumaticae.

Febres catarrhales et rheumaticas more antiquo, ab aliis febribus distinguere volui, quum in ea verser opinione, morbos, qui originem, decursum, et exitum sibi proprium agnoscunt, atque peculiarem medendi methodum expostulant, cum aliis morbis haud esse confundendos. Non negaverim, febres catarrhales et rheumaticas nonnunquam indolem sthenicam aut asthenicam offerre; fateor tamen, has febres saepe saepius ita constitutas esse, ut attentus observator haud possit non in earum decursu proprii ac specifici quid, a genuina sthenia aut asthenia omnino diversum, animadvertere.

Mense Septembris anni *MDCCCV* ad finem vergente (initio igitur mensis Octobris secundum calendarium gregorianum) quum primum ophthalmiae indolis catarrhalis regnaverint, sub tempestate admodum variabili, humida et frigida, febres rheumaticae et catarrhales epidemico modo hac in urbe grassari inceperunt. In quibusdam aegrotantibus

rheumatica, in aliis vero catarrhalia tantum symptomata, ut plurimum vero ambo simul in conspectum venerunt. Aegri nunc inopinate, nunc praegressa artuum dedolatione, a consuetis huius febris symptomatibus invadebantur. Vehemens capitis dolor, qui sub tussi valde augebatur, apud plures aegros aderat. Maxima pars aegrotantium de aurium susurru conquerebatur; quod symptoma ad ipsam convalescentiam usque protrahi solebat. Fere omnes de ponderis sensu ad regionem epigastricam, simul cum anxietate, querelas faciebant. Os, ab initio saepius amarum, sub decursu morbi, sine artificiali alvina evacuatione, ab hoc incommodo liberabatur. Ceterum nulla symptomata gastrica in conspectum venere. Febris exacerbationes saepius matutinis horis, cum remissionibus vespertinis aut nocturnis, apparebant. Morbus ut plurimum circa septimam diem, copioso sudore, solvebatur. Nonnunquam tamen et urina sedimentum tunc puriforme exhibuit. Sputa ab initio morbi interdum purulenta ac copiosa erant, imminuebantur vero sensim sensimque provectiori morbo, quin mali quid hinc sequeretur. Methodus medendi a nobis adhibita simplex et prorsus inactiva erat. Ab initio enim decoctum vel Hordei distichi mundati cum melle acetato (oxymel simplex) vel radicis Althaeae officinalis cum syrupo Papaveris somniferi (syrup. Papaver. albi) praescribebatur. Versus finem morbi ad Acetatem ammoniae (spiritus Mindereri), aut ad pulverem radicis Cephaelidis Ipecacuanhae cum opio confugimus.

Mense Octobris, quo nix et pluvia per vices succedebant, absoluta hac ipsa febre, tussis, ut plurimum sicca, non sine recidivae periculo, sat diu remanebat. A mense Novembris usque ad finem Martii *MDCCCVI*, hyeme scilicet inconstanti, ac gelu, in hac regione solito, fere destituta, febres catarrhales et rheumaticae, inprimis dum neglectae aut male tractatae essent, facile astheniae notam offerebant, et si ultra septimum aut decimum diem protraherentur, in typhum transire solebant; de qua re observationes, capite sequenti expositae, testimonium reddunt. Donec haec mutatio febris catarrhalis sive rheumaticae in febrem nervosam non contigisset, methodum supra expositam et hic adhibui. Solum, dum dolor punctorius pectoris urgeret, vesicatorium loco dolenti apponi jussi, a quo semper magnum levamen obtinui. Dolor capitis etiam egregie a vesicatoriis suris applicitis levabatur. Elapso vero tempore, quo benignus morbus solvi solebat, granulum Camphorae aut infusum sive florum Arnicae montanae, sive radicis Angelicae Archangelicae cum Acetate ammoniae, aut decoctum radicis Polygalae Senekae omni bihorio, optimo cum eventu praescripseram. Ad hanc methodum rarissime sub recenti adhuc morbo confugi, quia nec major tunc virium prostratio, nec systematis nervosi tumultus, febrem revera in asthenicam transituram fore, certe ac tuto indicabant. Aliquando enim symptomata hujusmodi observabantur, quin morbus a consueto tramite aberraverit.

Raro satis, sed tamen aliquando, febres catarrhales et rheumaticae, de quibus sermo est, indolem sthenicam aut gastricam assumebant. Dum hoc accideret, nunquam sine fructu tum ad venae sectionem et ad nitratem potassae (nitrum), tum ad emetica et purgantia confugimus.

Mense Aprilis febres catarrhales et rheumaticae omnino evanuerunt. Liceat dictis quasdam observationes peculiares addere.

Observatio. I. Famulus triginta octo annorum alcohole abutens, jam a novem annis tussi, cum sanguinis sputo hinc inde notata, excruciatus, die 2. Octobris, postquam a domino suo verberatus et deinde carceribus commissus fuerat, a febre catarrhali cum virium prostratione et ingrata ad ventriculum sensatione, correptus est. Septima ejusdem mensis die ad clinicum defertur. Pulsus non valdopere frequens, sed mollis invenitur. Decocto ex radice Althaeae officinalis et Polygala Seneka utebamur. Morbi septima die, sub sudore copioso universali, morbus fugatus fuit. Convalescenti decoctum Lichenis islandici porrigebatur. Die undecima mensis omnino sanus, quin tussim habitualem amplius persentiret, abiit.

Epicrisis. Febres catarrhales mense Octobris saepius tussim diuturnam reliquisse, monuimus. Hoc interim in casu contrarium contigisse, atque aeger per febrem catarrhalem a tussi chronica liberatus fuisse videtur. Vi-

detur, inquam, quia, ne iterum tussis irrueret, vehementer dubito. Non desunt interim et alia exempla catarrhi chronici, superveniente febre catarrhali acuta sanati, a me observata. . . .

Observatio 2. Adolescens octodecim annorum, vix magno itinere absoluto, postquam aegrotis morbis febrilibus, uti videtur, affectis adstitisset, et sese aestuante corpore refrigerationi exposuisset, a magno horrore, cui calor cum virium jactura, capitisque dolore successit, correptus est. Die 19 Februarii, tertia vero morbi, in clinicum suscipitur. Aegri adspectus gravem morbum annunciabat. Ipsemet maximum dolorem capitis et nuchae, aurium susurrum et oris siccitatem accusabat. Calor cutis urens, manuum tremor, lingua arida, respiratio paululum impedita, nulla tussis, peticulae nullae, alvus libera, pulsus debilis 136. ℞. Florum Arnicae montanae, florum Matricariae Chamomillae āā drachmas duas. Infunde c. s. q. Aquae fontis fervidae per quadrantem horae. Colatura librae unius D. S. Omni bihorio unciam unam et semis. Decoctum Hordei distichi aceto acidulatum pro potu. *Vespere:* Pulsus 150. Urina jumentosa, genae rubent, subdelirat, abdomen molle. Continuetur. Quarta morbi die *mane:* noctu copiose sudavit, atque adhuc sudat; pulsus undosus 98. Hilarior. *Vespere:* calor cutis sanus, pulsus 80, lingua mollis. Usque ad septimam morbi diem qualibet nocte cum levamine sudavit. Omnino tunc convalescens, medicina hucus-

que continuata, seposita fuit. Die 27. Februarii sanus exiit.

Epicrisis. En morbum constitutionalem sub forma ephemerae protractae. Magna hoc in aegro virium jactura, adspectus ipsius, atque contagii suspicio, licet peticulae defuerint, dubium me reddiderunt, utrum morbum pro febre rheumatica, an vero pro typho declararem; quare diagnosin certam non nisi ope diuturnioris observationis institui posse, judicavi, quod quarta morbi die facile fuit. Interim virium prostratio, pulsuum debilitas, praesertim vero capitis dolor et tremores quocunque in casu, nostro in aegro usum florum Arnicae montanae, quarum egregiam virtutem saepius sub hac rerum positione expertus sum, postulare videbantur. Floribus Matricariae Chamomillae, pro remedio adjuvante simul et corrigente, usus sum.

Observatio 3. Juvenis octodecim annorum, die 8. Martii post prandium, a capitis dolore, aurium susurru et horrore corripitur. Succedunt calor, sitis, tussis, dolor ad regionem epigastrii, et ad coxam. Morbus vespere constanter exacerbatur. Aeger sine ulla medela per quatuor dies domi mansit. Postea ad clinicum delatus, praeter allata, de oris summa amaritie conquerebatur. Lingua erat spurca et sicca; pulsus 130, debilis. Vomitus bis ope pulveris radicis Cephaelidis Ipecacuanhae motus est. Materia biliosa rejecta sanguinis portionem exhibuit. Alvus bis mota; toto corpore sudavit. Oris ama-

ror nullus, capitis dolor imminutus, debilitas non aucta. Acetas ammoniae cum decocto radicis Althaeae officinalis exhibetur. Die sequente, sexta scilicet morbi, *mane*: Noctu deliravit, calor cutis auctus, pulsus 138, tremores, urina copiosa, tincta. Infusum radicis Angelicae Archangelicae cum Acetate ammoniae, et duo vesicatoria ut rubefacientia ad suras praescribuntur. *Vespere*: exacerbatio nulla, semel vomuit. Septima morbi *mane*: dormivit, sudavit, calor cutis sanus, pulsus 85. *Vespere*: exacerbatio nulla. Nocte sequente abunde sudavit, ac postea convaluit. Die 24. Martii Clinicum, quod duodecima ejusdem mensis intraverat, sanus dereliquit.

Epicrisis. Non audeo hoc in casu determinare: an emeticum revera necessarium fuerit, nec ne? Oris amaritiem quidem absoluto vomitu evanuit, capitisque dolor imminutus est. Verum altera die morbus nihilominus in pejus ruebat. Utrum ejus solutio septima die ob medicamenta idonea, quae porrecta fuerunt, an ob decursum indoli febris proprium contigerit, adhuc difficilius est determinatu. Attamen ultimum verisimilius videtur. Quomodocunque sit, notandum est, sanguinem a nostro aegro sub vomitu et sine magno conatu, et quin damnum inde sequeretur, rejectum fuisse.

Observatio 4. Vidua quadraginta annorum, jam a quatuor annis capitis doloribus et erysipelatibus tum ad faciem, tum ad crura vicissim obnoxia, die 10. Octobris in febrem

catarrhalem rheumaticam incidit. Die 17. ejusdem mensis ad nos defertur. Febrem, ab initio continuam, post paucos dies typum intermittentis assumpsisse, atque noctu, inprimis magno capitis dolore stipatam, accessisse, observavimus. Cortex igitur Cinchonae officinalis, sed cum damno, porrectus fuit. Quum plurima symptomata, quae hystericam indolem habuisse nobis videbantur, in conspectum venissent; ad remedia sic dicta antihysterica, non meliori cum eventu, confugimus. Tandem primae morbi originis memores, rheumatici quid adhuc latere posse, suspicati sumus; quamobrem antimonialia et vesicatoria, ast incassum, usurpata fuere. Tandem in pejus ruente morbo, ob constantem alvi segnitiem, die 2. Novembris pulveres Oxytartritis potassae (Cremor tartari) cum Tartrite potassae et antimonii (Tartarus emeticus) in refracta dosi adhibuimus. Evacuationes alvinae cum evidente levamine crebriores reddebantur, quare quinta ejusdem mensis ad infusum Rhei palmati cum Muriate ammoniae (Sal ammoniacus), cui aquae Menthae crispae portio adjecta fuit, confugimus. Quo magis alvus hinc movebatur, eo minor febris et capitis doloris nocturnus accessus. Quum autem lingua constanter muco albo obtecta esset, et aegra nullo prorsus ciborum desiderio tentaretur, nec non de ructibus continuis conquereretur, habito respectu ad utilitatem purgantium, quid emeticum valeret, experiri voluimus. Praescribebatur igitur Tartris potassae et antimonii; quod remedium ter vomitum tanto cum fructu excitavit, ut morbus il-

lico et omnino cessaverit. Remanebat nil aliud, quam debilitas, quae per amaricantia dissipata est. Die autem 16. Novembris aegra sanitati perfecte restituta dimissa fuit.

Epicrisis. Perdifficile foret, rationem reddere, cur ementicum hoc in casu caeteris remediis palmam praeripuerit, an scilicet per evacuationem materiae cujusdam peccantis, an per stimulum ventriculo, et igitur per consensum cerebro illatum? Quomodocunque sit, me non citius ad hoc remedium confugisse, doleo. Corticem Cinchonae officinalis non solum ob periodicum hujus morbi decursum, sed etiam ob sequentem rationem adhibui. Paululum enim antea aeger apud nos decumbebat, qui superata febre rheumatica, capitis dolorem noctu periodice recurrentem expertus est, qui usui corticis omnino cessit.

Caput II.

Catarrhus.

Observatio. Vir robustus, vigesimum nonum annum numerans, quatuor abhinc annis, quum ab urso illi obviam veniente vehementer complecteretur, tussicula frequenti, sanguinis sputo et dolore pectoris correptus est. Ab hisce malis liberatus, vitam sat sanam, licet vino nimis deditus usque ad mensem Februarii 1806 duxit. Hoc autem tempore in catarrhum incidit, cui nullam medelam opposuit, donec die 13. Martii ad clinicum institutum delatus fuerit. De vehementi tunc dolore ad sternum, nec non de tussi, inprimis sub profunda inspiratione oriente, conquerebatur. Febris nulla aderat. Pulvis Cephaelidis Ipecacuanhae cum Opio, per plures dies, sine omni fructu porrectus est. Tandem huic remedio extractum Hyoscyami nigri addidimus, sed incassum. Aeger nempe die noctuque a continua tussi, excruciabatur. Die 17. mensis ejusdem in venaesectione ad uncias octo instituta auxilium quaesivimus. Magnum exhinc levamen aeger expertus est. Post duos dies alvus sexies per Sulphatem Magnesiae movebatur; quo facto omnino sanus fuit.

Epicrisis. Regula a *Brunone* praedicata, venae sectiones solummodo in morbis sthenicis gravioribus indicatas esse, sanguinis missiones fere a therapia catarrhi removit. Ast, quotidiana experientia satis docet, phlebotomiam catarrho pulmonum saepe princeps remedium sistere, quod a praesente observatione omnino confirmatum est.

Vehementer timeo, ne una ex causis, quibus phthisis pulmonalis nostris temporibus tam frequens redditur, in neglecta venae sectione in catarrho pertractando consistere. Si enim quasdam epidemias, ubi catarrhi revera indolem asthenicam offerunt, excipiamus, eorum natura in genere, inprimis vero apud juniores et robustiores, inflammatoria esse solet.

Nostro in aegro quidquid morbi post venae sectionem supererat, purgans abstulit. Complicationemne igitur gastricam adfuisse, arbitrabimur? An purgans hujusmodi aliorum antiphlogisticorum adinstar debilitando, uti credunt, egit?

Caput III.

Typhus.

Febris plerumque contagiosa, cum peculiari systematis nervosi affectione, atque saepe cum peticulis, aliisque exanthematibus incedens, mihi *Typhus* est. Quamvis enim longe absim, ut credam, stupiditatem hac in febre constanter observari, nihilominus nomen typhi, denominationibus *febris putridae, febris nervosae, febris asthenicae* eam ob causam anteponere volui, quod hoc nomen nulla ex hypothesi originem ducat, nullamque ex ea deductam methodum generalem indicet, ac in tota Europa nunc sat generaliter receptum sit. Nomine vero typhi febres variae admodum indolis, et omnino inter se diversas, diversisque admodum methodis pertractandas, comprehendi, persvasum habeo. Ad has ultimas eruendas, quid nos ducet? Certe non excogitatio hypothetica cujusdam causae, *vgr.* putredinis humorum, astheniae solidorum, defectus oxygenii, sed sola characteris epidemici, habitus corporis aegrorum, causarum praegressarum ac symptomatum consideratio, nos solum ad metam ducere potest. —

Haec stricte sequens, conspicuum aegro-

rum typho laborantium numerum nostro in clinico, hoc anno, certe magna cum felicitate pertractavimus. Si enim ex triginta octo aegrotantibus tres mortui sunt, sciendum, duos eorum semianimos ad nos deportatos fuisse; caeteros vero omnes non rheumaticis aut aliis levioribus febribus (quae hodiedum saepe nimis pro typho seu febribus nervosis vel asthenicis declarari solent) sed vero typho, et quidem ut plurimum gravissimo, laborasse.

Febres catarrhales et rheumaticae, a mense Septembris 1805. usque ad mensem Aprilis regnantes, si negligerentur, facile in typhum transivisse, jam dictum est. Morbus tunc sat diu protrahebatur, ac non raro sic dictae febris nervosae lentae adspectum referebat. Decem aegros hujusmodi pertractavimus, quorum quinque commemoratione indigni nequaquam videbuntur.

Observatio 1. Die 30. Octobris 1805. femina quadraginta annorum, quae post refrigerationem et grave animi pathema perpessum quindecim exhinc diebus febre laborabat, ad clinicum deportata fuit. Dolorem capitis artuumque omnium, magnam virium prostrationem tussimque aegra accusabat. Facies erat collapsa, oculi moesti, lacrymantes, nasus acuminatus, susurrus aurium, lingua sicca, in medio crusta nigra obtecta, sitis pauca, pulsus parvus 110, calor cutis non auctus, suspiria frequentia. Rc. moschi optimi grana septem, sacchari albi drachmam unam, conterendo adde aquae florum Rosae centifoliae

Uncias sex, Syrupi corticum Citri Aurantii Unciam unam. D. S. Capiat singulis horis unciam semis, et vini malacensis aliquot cochlearia interdiu praescribebantur. Quum haec non multa praestaverint, post duo nychthemera ad Camphoram cum oxydo Antimonii hydro-sulphurato aurantiaco confugimus. Lingua mox humidior reddita est. Altera die sudavit cum levamine, ac facies hilarior cum pulsu fortiori 84 erat. Tussis vero sicca valde urgebat, ac spasmodica videbatur. Addito remediis allatis extracto Hyoscyami nigri hoc symptoma mox mitigatum, ac post nychthemerum omnino fugatum est. Nihilominus motus febriles usque ad vigesimam quartam morbi diem perdurarunt. Sub convalescentia diu protracta decoctum Lichenis islandici et corticis Cinchonae officinalis porrectum fuit. Sana die 22. Septembris dimissa est.

Observatio 2. Puella septemdecim annorum florida, nullis morbis, praeter epistaxin, subjecta, die 15. Novembris post refrigerationem in febrem catarrhalem tunc regnantem inciderat. Medicus advocatus Camphoram adhibuit. Quotidie in pejus ruente morbo, sub quo Ascarides lumbricoides aegra evacuaverat, die 29. ejusdem mensis ad nos delata fuit. Facies nunc rubescens, nunc pallescens, respiratio difficilis cum pinnis narium absoluta; pulsus sat debilis 124, calor cutis vix auctus, et tussis sicca observabantur. Hisce symptomatibus pectoris dolor ac tussis sicca, inanis, epistaxis frequens, sudoresque partiales per decursum morbi ad trigesimum

quartum diem protractum, associata sunt. Die enim 2. Januarii aegra pro prima vice apyrectica fuit. Remedia diapnoica, dein erigentia et anthelmintica, nec non, sic dicta, nervina durante morbo sine apparente effectu adhibuimus. Sana die 14. Januarii clinico valedixit.

Observatio 3. Vetula sexaginta novem annorum a frigore humido et animi pathematibus vexata in febrem catarrhalem inciderat. Die quinta morbi, duodecima Aprilis, ad nos delata faciem luridam, linguam valde siccam, pulsum debilem non multum frequentem ac summam virium prostrationem invenimus. Ad vesperam aegra delirio affecta mussitabat. Sequentibus diebus sopor, tremores, respiratio difficilis, tussis cum sputis sanguine mixtis, et pulsuum intermissiones supervenere. Die octava morbi ad vesperam pulsus in carpo sinistro per decem circiter horae momenta non amplius percipiebatur, atque aegra morti admodum proxima videbatur. Tunc extractum florum Arnicae montanae cum liquore Carbonatis Ammoniae empyreumatici et aqua Menthae crispae, ac pulveres ex granis duobus camphorae omni bihorio alternatim cum medicina sumendos, nec non vesicatoria tanto cum fructu adhibuimus, ut aegra altera jam die longe melius valuerit. Sequentibus diebus morbus decrevit, ac decima quarta die apyrectica fuit. Linguae siccitas tamen per plura adhuc nychthemera remansit. Sudores quaque nocte redeuntes ac sputa copiosa puriformia dein observabantur, quae omnia sub

usu Lichenis islandici, victusque lauti disparuere. Vires lente redibant; attamen vetula omnino sanâ die 17. Maii clinicum derelinquere potuit.

Observatio 4. Sutor viginti annos natus, valetudinarius, die vigesima tertia Februarii 1806. a febre catarrhali regnante corripitur, ob quam quinta morbi die in clinico instituto auxilium quaerebat. Morbus illius tempore consueto solutus videbatur; quare septima Martii, petente convalescente, dimittebatur. Ast, altera die rediit. Adspectus, pulsus debilis, virium prostratio, gravem morbum annuntiabant. Camphora, dein Arnica montana praescribebantur. Decima Martii aeger pejus valebat; praeter summam virium prostrationem, faciei pallorem et magnam salivationem, pulsum 112, plenum ac chordae metallicae adinstar durum exhibebat. Rc. Foliorum Digitalis purpureae grana duo, Sacchari albi grana decem. Capiat omni bihorio talem pulverem. Rc. Acidi sulphurici alcoholisati (Elixir. acidum Halleri) scrupulos duos, aquae fontis libram unam, syrupi simplicis unciam unam. Capiat alternatim cum pulveribus unciam unam. *Undecima* Martii. Pulsus 86 debilis, salivatio continuat, licet in minori gradu, de magno capitis dolore conqueritur. Continuet. *Decima.* Pulsus 95, iterum parum vibrans. *Duodecima:* perfecta apyrexia, sudavit, salivatio cessavit, capitis dolor minor. Ab hoc tempore vires sensim sensimque rediere. Sanitati restitutus die 29 Martii domum petiit.

Observatio 5. Studiosus viginti annorum ob refrigerationem die sexta Januarii a febre catarrhali corripiebatur. Licet morbus hic brevi temporis spatio ita creverit, ut aeger praeter profusam diarrhoeam et lipothymias pateretur; attamen usque ad decimam tertiam morbi diem domi, nulla adhibita medela, tempus trivit. Die scilicet 19 Januarii ad nos delatus aeger, constitutionem gracilem, corpus exhaustum, faciem luridam, respirationem difficilem, quasi gemebundam, decubitum utrumque in latus denegatum, subsultus tendinum, pulsum frequentem, parvum, extremitates frigidas, ac urinarum retentionem exhibebat. Applicatis fomentationibus vesicae regioni, et adhibito clystere urinae fluxere; ast, nec Camphora, nec Moschus, nec alia remedia, hoc in morbo usitata, impedire potuerunt, quominus aeger vigesima tertia morbi die fatum extremum subiret. Pulsus paucas ante mortem horas elevatus et vibrans reddebatur.

Quo tempore febres catarrhales et nervosae ex illis ortae grassatae sunt, et *typhus peticularis* aliquando sporadice comparuit. A mense Septembris usque ad dimidium Aprilis octo hujusmodi morbo affectos aegros in Institutum nostrum recepimus, quorum nullum, licet aegri omnes graviter admodum laborarent, amisimus. En observationes quasdam circa medendi methodum hisce in casibus adhibitam.

Typhum peticularem decursum sibi proprium absolvere debere, et dum hoc regula-

riter, et sicuti morbi indoles expostulat, occurrit, nullum pene remedium expostulari, de die in diem magis magisque mihi persuadeo. Quamobrem apud meos aegros in observatione totus fui, ac ubi morbus a tramite minime aberraverit, medicamenta vix aut ne vix quidem necessariâ putavi. Exemplo sint sequentes observationes.

Observatio 6. Puella octodecim annorum die sexta morbi, 24 Februarii 1806. ad nos deportatur. De magna virium prostratione, capitis dolore sternique conqueritur. Pulsus debilis frequens, calor cutis auctus. Lingua sicca. Bibat tepide decoctum, sic dictum, emolliens. Die *septima* epistaxis; urina cum sedimento lateritio peticulae copiosae super totum corpus, nec non ad faciem prorupere, pulsus irritatus, calor auctus, alvus aperta. ℞ Aquae communis libram unam, Acidi sulphurici et Sacchari albi q. s. ad gratum saporem. Capiat omni bihorio unciam unam et semis. Usque ad *decimam* nulla mutatio; hoc enim tempore calor cutis imminutus et pulsus 117 debilior redditus erat. Ita et *undecima* die. *Duodecima* vero: pulsus adhuc debilior, alvus bis laxata, virium prostratio major, peticulae evanescunt. Habeat omni bihorio cochleare unum vini rubri gallici. Die *decima tertia.* Per aliquot horas pro prima vice dormivit, pulsus elevatior 101. Capitis dolor et debilitas imminuta. Morbus ita sensim sensimque imminuebatur, licet motus febriles ad vigesimam usque diem perduraverint. Die 25 Martii sana dimissa est.

Observatio 7. Puella duodecim annorum, die sexta morbi, cum facie rubra, lingua sicca, siti, surditate, tussi sine sputis pulsu frequente, debili, calore aucto et peticulis die 17 Martii 1806. ad clinicum deportata est. Decoctum emolliens porrigitur; ob tussim linctus simul adhibetur. *Octava* sopor supervenit. Habeat infusum florum Arnicae montanae. *Nona* sopor evanuit, peticulae imminuuntur, pulsus vix febrilis, alvus uti prius aperta. *Decima* ad convalescentiam perducta est, sub qua, redeunte auditu, tota epidermis desquamabatur. Die 2 Aprilis sana domum petiit.

Observatio 8. Auriga triginta quatuor annorum die 1 Octobris, morbi septima, ad clinicum deferebatur. Febris erat magna, pulsus 108 sat elevatus, inconstans, calor auctus, cutis sicca, peticulae lividae, facies moesta, stupor, lingua sicca crusta nigra cooperta, pectus, excepta quadam tussi, liberum, abdomen molle, sed alvum inscie deponebat. ℞ Florum Arnicae montanae Unciam semis. Infunde sufficienti quantitate aquae fervidae ad colaturam librae unius cum dimidia, adde Acetatis ammoniae et Syrupi Papaveris somniferi ãã Uncias duas. *Octava* epistaxis, delirium noctu, nunc sopor, alvum inscius pluries cum urinis deposuit. Repetatur infusum florum Arnicae montanae, sed loco Acetatis ammoniae addatur Tinctura aromatica sulfuricata (Elixir. vitriol. Mynsichti). Applicetur rubefaciens ad suras. Petenti aegro cerevisia pro potu conceditur. *Nona:*

sopor cum vaniloquiis alternans, alvus bis laxata inscie, urina cum sedimento puriformi copioso. Epistaxis nulla, pulsus 108. Habeat alternatim cum medicina granum unum Camphorae. Ad vesperam exacerbatio minor est. *Decima:* Septies inscie alvum liquidam deposuit, per aliquot horas dormivit, prius vero deliraverat, abdomen non tumens, percussum tamen resonat. Ad vesperam parva exacerbatio et alvus bis laxata. Continuet in medicina. *Undecima:* nulla mutatio in morbo exceptis urinis, quae tinctae sed sine sedimento sunt. Cutis minus arida. Continuetur. *Duodecima:* alvus quater inscie mota, aeger soporosus est. Rc. Aquae florum Matricariae Chamomillae Uncias sex, Liquoris Carbonatis ammoniae empyreumatici scrupulos duos. Omni hora capiat cochleare unum alternatim cum pulvere ex Camphorae granis duobus. *Decima tertia:* hac nocte multum dormivit, alvum semel conscie deposuit, pulsus 90, cutis arida. Lavetur corpus cum aqua tepida. In caeteris continuet. *Decima quarta:* toto corpore sudavit, lingua humida, alvus clausa, aeger sibi praesens est. Seponatur Camphora. *Decima quinta* convalescens. Habeat decoctum corticis Cinchonae officinalis. Post sedecim dies sanus clinicum institutum dereliquit.

Epicrisis. Diarrhoeam per totum fere hunc morbum durantem nequaquam sedavi; quum ex ea morbus non increverit. Hoc saepe saepius in typho observare licet; quare non satis medicos, qui ex qualibet eva-

cuatione morbosa, futuram virium jacturam timent, monere possum, ne ob hanc hypothesin diarrhoeas in typho sedent. Ab alvina excretione praepostere hoc in morbo, inprimis per opium, cohibita, gravissima mala orta vidi. Quamobrem nisi praesentia symptomata accedente diarrhoea quammaxime augeantur, et meteorismus aut alia nova superaccedant, nunquam diarrhoeam, inprimis faecalem sisto. Hoc vero in casu saponem ammoniacalem abdomini illinitum, fomentationesque aromaticas illi impositas, antequam ad Opium recurram, in auxilium duco: et ubi haec nil praestent, nonnisi guttulas octo vel decem tincturae Opii compositae (Laudanum liquidum Sydenhami) cum infuso florum Matricariae Chamomillae sub clysteris forma porrigere solitus sum. Ab usu enim interno Opii, quousque fieri licet, in typho peticulari abstineo! nam satis multiplici experientia edoctus sum, paucas dari rerum positiones in hoc morbo, ubi Opio locus esse potest, de qua re alio loco plura.

Addam historiis allatis alteram, ex qua apparebit, typhi peticularis curationem non semper in methodo inactiva consistere. Sequenti enim in casu gravis pectoris affectio ab opportunis remediis medio sub morbo fugata fuit; ita, ut morbus ipse postea decursum proprium placide absolvere potuerit.

Observatio 9. Femina triginta annorum a contagio, uti videtur, in febrem incidit, ac sexta morbi die, die scilicet 23 Januarii,

ad clinicum deportatur. Facies rubra, tussis sicca, frequens, respiratio laboriosa, pectoris dolor gravativus, peticulae copiosae lividae; subsultus tendinum, magna virium prostratio et pulsus 126, debilis, inconstans observabantur. Vesicans uti rubefaciens ad pectus, et decoctum radicis Althaeae officinalis et Polygalae amarae cum Acetate ammoniae et syrupo praescribebantur. *Septima* morbi: sopore et deliriis alternatim per noctem detinebatur, pulsus magis elevatus 120, tussis minor atque humidior, peticulae copiosiores et laete rubentes, alvus clausa. Repetatur medicina. Iniiciatur clysma. *Octava:* nulla mutatio. *Nona:* facies minus rubet, respiratio liberior, tussis rara, sputa spumosa, dolor pectoris nullus, pulsus elevatior 112, in soporem inclinat. Capiat alternatim cum medicina granum unum Camphorae omni bihorio. *Decima:* omnia in melius mutata, pulsus 105, sputa copiosa, cocta. Sic morbus usque ad decimam tertiam diem decrescendo, attamen non sine vespertinis exacerbationibus, duravit; qua die sudor febrem fugavit, cujus nullum vestigium die proxima observabatur. Sana omnino die 14 Februarii domum petiit.

Adhuc magis activa methodus erat, quam in studioso viginti duorum annorum typho peticulari laborante adhibuimus. Magna enim virium prostratio, deliria, subsultus tendinum, pulsuum ratio, aliaque usum Camphorae, Moschi, et tandem Ammoniam et Aetherem exigere videbantur. Morbus hic usque

ad vigesimam diem protractus, ac sudore per tres dies continuante feliciter terminatus est. Jam die decima septima crisin ope somni, qui sano similis videbatur, octodecim horas perdurantis expectavimus; ast, evigilato aegro omnia in pejus ruebant. Aliter res in juvene, custodis horti botanici nostri filio, se habuit, qui nempe typho peticulari gravissime in clinico decubuit, atque decima septima morbi die per somnum, quadraginta horas fere sine intermissione perdurantem, sanitati restitutus fuit. Similia interdum in nosocomio vindobonensi observaveram. Haec sufficiant de typho peticulari sporadico; nunc ad eum, qui epidemice grassatus est, breviter delineandum pervenio.

Jam mense Februarii 1806 legio quaedam militum ex Moravia redux infensum morbum, typhum scilicet sic dictum castrensem, per magnam Lithuaniae nec non Volhyniae partem late disseminavit. Legio *Tenginski* quum iter per has ipsas regiones instituere, ac iisdem in locis noctes transigere debuerit, ubi prius milites aegrotantes decubuerunt, mense Martii similem morbum secum Vilnam duxit. Quum interim milites, in quibus minima futuri morbi vestigia observabantur, mox nosocomio militari commissi fuerint; contagium, licet nosocomium, de quo sermo est, media in urbe positum esset, vix aut ne vix quidem per integrum mensem civibus sese communicavit. Ast medio Aprilis fato crudeli morbus et per urbem et vicinia loca propagatus fuit, ac praecipue initio Maii, ubi nu-

merus militum aegrotantium octingentos superabat, civibus non sine ratione omnibus timorem incutiebat. Temperies hoc tempore praeter modum calida erat, ita ut thermometrum ad 33° gradus adscenderet. Interim frigus inopinate undecima Maii superveniens, divulgationi morbi tum inter ipsos milites, tum inter cives, remora fuisse videtur. Ab eo enim tempore numerus aegrorum remisit; licet adhuc, mense scilicet Junio, inconsueta eorum copia in urbe observaretur.

Quum egregius nosocomii militaris moderator ac medicus, Clarissimus a Consiliis *Einholm* morbum epidemicum, quatenus ille inter milites regnavit, ipse describere sibi proposuerit, tantummodo quae in viginti aegrotantibus ex civibus, quos in clinicum suscepi, observare licuit, hic breviter proferam.

Febris cum consuetis symptomatibus typhi inceperat. Aegri quotquot erant, vel ab initio morbi, vel paulo tardius, de spasmo interdum valde dolorifico ad musculos gastrocnemios conquerebantur. Oris amarities, lingua albo muco obtecta, sitis apud omnes fere observabantur. Ut plurimum tertia sive quarta die peticulae copiosae, saepe lividae super totam corporis superficiem, excepta facie, sine omni levamine comparuere. Hoc ipso tempore, praecedentibus ut plurimum subsultibus tendinum nec non narium haemorrhagiis, delirium accedebat, sub quo, inprimis noctu, aegroti aufugere tentabant.

Urina saepius nil morbosi ostendebat, interdum vero profunde tincta et sedimento puriformi instructa erat. Calor cutis in plurimis urens, interdum vero a statu normali minime abludebat. Pulsus non semper debilis, saepius vero inconstans. In genere morbus aut faciem sic dictae febris nervosae versatilis, aut illius, quae stupida nuncupatur, offerebat. Hoc ultimo in casu sopor delirium sequebatur. Diarrhoea utroque in casu, quin semper vires ab ea prosternerentur, medio sub morbo contingere solebat. In omnibus fere aegrotantibus vermes per anum, os, vel nares secedebant. Decubitum, qui saepius in ecchymosi magis, quam in ipsa gangraena consistebat, nullo modo apud plures evitare potuimus. Meteorismus rarius apparuit, ac alvus, exceptis paucis exemplis, regulariter aperta erat. Morbus nulla certa et determinata die terminabatur, apud plures enim usque ad decimam octavam diem protrahi, apud alios jam duodecima die terminari solebat. Sudor universalis, sub quo pulsus elevatiores, minus frequentes, calor cutis amoenus reddebantur, felicem eventum annuntiabat. Idem de pulsuum intermissione dicendum, quae proximam convalescentiam indicare, et usque ad perfectam virium instaurationem continuare erat solita. In quibusdam nulla crisis comparuit, nisi somnum per totam noctem durantem pro critico declarare vellemus. Peticulae raro ante febrem disparuerunt, et in plurimis aegrotantibus earum vestigia sub ipsa convalescentia, et dum jam jam homines deambulabant, conspiciebantur.

Uno in aegro metastasis bona ad brachium morbum terminare videbatur. Hic jam ab initio febris vehementer deliravit, ac postea ecchymoses, quin immo gangraenam variis in locis, inprimis ad aurem, sub axillis, ostendebat. In genere nec graviora symptomata ab initio morbi semper malum, nec mitiora tunc felicem semper exitum indicabant. Ubi mors accedebat, respiratio brevis, anhelosa reddebatur, ac decubitus citissime proserpebat. Corporis flavedinem, quae saepius a Doctore *Einholm* vix non semper cum lethali eventu observata fuit, in nostris aegris, licet non raro adspectum luridum habentibus, nunquam conspeximus. Aegri vero tantummodo duo ex viginti, quos, uti monui, typho epidemico laborantes in institutum accepi, extremum fatum subierunt. Unus eorum Jacobus *Głębowski*, vir triginta annorum, ex suburbio *Antokol* nona morbi omnino neglecti die ad nos cum sopore, peticulis lividis, calore corporis urente, tendinum subsultibus, respiratione anhelosa, pulsu frequenti, elevato et decubitu die 20 Maii delatus est, ac post quadraginta horas obiit. Alter Vincentius *Kraus*, vigesimum quartum annum attingens, in ipsa urbe prope domum Politiae habitans, jam variis morbis, inprimis vero peripneumoniae, a concussione thoracis ab equo ortae, subjectus, quin contagioni se exposuisse sciret, post abusum, ignoro, an vini, an alcohol in febrem cum diarrhoea incidit. Die nona morbi, 24 Maii ex nosocomio Sororum misericordiae, ubi duos per dies decubuerat, pro clinico electus

est. Facies erat rubra, cum capitis gravedine, aurium susurru, oris amarore, lingua subsicca muco obducta, siti magna, pulsu frequente, calore aucto, manuum hinc inde tremore et inquietudine. Diarrhoea siluerat. Simplex decoctum emolliens praescribebatur. *Decima* morbi noctu non dormivit, capitis dolor magnus, pulsus 114, elevatus, vibrans, alvus bis aperta. Rc: Aquae fontis libram unam, Acidi sulphurici, syrupi florum Violae odoratae āā q. s. ad gratum saporem. Hac medicina per dŭos dies usus est, quin magna mutatio in morbo, accederet. Die *duodecima*. Furiose per totam noctem deliravit, ac alvum quatuordecim vices deposuit flavam. Respiratio difficilis, labium inferius tremuit, abdomen molle, indolens. Capiat omni bihorio infusum florum Arnicae montanae, syrupo Papaveris somniferi edulcoratum, alternatim cum Moschi granis duobus. *Decima tertia*. Status idem, alvus bis tantum mota, tremor totius corporis, pulsus debilis contractus, manè 122, vespere 148. Continuet in Moscho, habeatque: Rc. Aquae florum Matricariae Chamomillae Uncias octo, Tincturae gummi-resinae Ferulae Assae foetidae drachmas duas. Capiat omni bihorio unciam unam. Pro potu infusum ex foliorum Melissae officinalis, florum Matricariae Chamomillae et Papaveris Rhoeados āā uncia una. *Decima quarta*. Omnia in pejus ruunt; lingua et dentes nigro muco obtecta, alvus semel laxata meteorismus magnus, pulsus 140, debilis, respiratio anhelosa. Rc. Aquae Menthae crispae uncias quatuor, Aetheris

sulphurici, Liquoris Carbonatis Ammoniae empyreumatici aa drachmam unam. Capiat omni decimo minuto unciam semis. Iniiciatur clyster ex gummi-resina Ferulae Assae foetidae. Cooperiatur abdomen glacie. Epispastica ad femora. *Decima quinta.* Hora decima vespertina quum toto corpore sudare inceperit, glacies remota fuit. Per totam noctem somno gavisus est. Sopor loco delirii. Alvum aliquoties inscie deposuit. Continuetur. *Decima sexta.* Abdomen concidit, pulsus elevatior, alvum ter conscie deposuit, decubitus gangraenosus, floccos capit. Noctu mortuus.

Nimis foret historias reliquas, octodecim scilicet aegrorum morbo epidemico affectorum, qui sanati fuere, extense hic in medium proferre. Sufficiat igitur de methodo medendi adhibita generali sermone rationem reddere.

Curam ut plurimum, dum scilicet morbus recens erat, cum emetico tum ex Cephaelide Ipecacuanha, tum ex Tartrite Potassae et Antimonii incepi. Celebrato vomitu oris amarities, ac sitis fere semper disparebant, vel saltem imminuebantur. Tunc virium vitalium conservatio mihi quammaxime cordi fuit. Verum non semper eae ita depressae erant, ut necessarium fuerit, ad fortiora excitantia recurrere. Sic D. *Joannes Miładowsbi*, vigesimum primum annum numerans, octava morbi a militibus aegrotantibus susceptus die, quarta scilicet Maii, in clinicum susceptus est. Ca-

lor erat cutis urens, lingua sicca fissuris profundis sulcata, sitis inexplebilis, pulsus 97 debilis, et peticulae observabantur. Aeger per totum decursum morbi non nisi limonada et sequenti circiter formula usus est. R. Aquae nucleorum Pruni Gerasi uncias septem, aetheris nitrici alcoholisati scrupulum unum, *Syrupi Alkermes* unciam dimidiam. Capiat omni bihorio unciam unam. Morbus die decima quarta sudore solutus est. — Alter aegrorum quindecim annos natus, die septima morbi, nona Maii ad clinicum deportatus fuit cum facie subflava, lingua humida vix muco obtecta, pulsu inconstanti 106, peticulis, calore urente. Os non erat amarum. Sub decursu hujus febris vaniloquia nocturna, artuum tremores, cum alvi sat pertinaci obstructione in conspectum venerant. Aegro praeter clysteres, nonnisi sequens remedium praescriptum est. Rc. Aquae fontis destillatae libram unam, Tartritis Potassae et Antimonii granum unum, Syrupi florum Papaveris Rhoeados unciam semis. Capiat omni bihorio unciam unam. Febris jam undecima morbi die declinare incepit, ac decima tertia sub universali sudore devicta fuit. In plurimis aliis per totum morbi decursum simplici infuso radicis Angelicae Archangelicae, aut florum Arnicae montanae usus sum; quamvis delirium aut sopor et alia graviora symptomata adfuissent. Vesicatoria tantummodo ad suras hinc inde simul usurpavi. In Domino R....., cujus tota familia a gravi typho prehensa fuit, extrema virium postratio, ac praesentia ulcerum chronicorum ad extremitatem inferiorem,

usum Camphorae et decocti corticis Cinchonae officinalis cum extracto florum Arnicae montanae postulare videbantur, sub quorum remediorum usu omnino convaluit. Juvenis primis morbi diebus ad clinicum deportatus furiose delirabat, ac maculis peticularibus obsessus erat. Hirudines ad tempora et retro aures, applicatis duobus vesicatoriis ad crura, delirium brevi temporis spatio dissiparunt. Accessit mox sub profusis sudoribus decubitus gangraenosus cum ecchymomatibus ad aurem atque ad varia alia loca. Saturatum corticis Cinchonae officinalis decoctum cum Acido muriatico oxygenato, dein Camphora, ac vinum et hujus aegri vitam conservarunt. Acidum sulphuricum optimo cum successu puero haemorrhagiis narium laboranti, atque maculis peticulosis lividis confertissimis cooperto, delirio et sopore alternatim detento, simul cum infuso florum Arnicae montanae porrectum fuit. — Altero magis adulto in aegro, qui prorsus omnia remedia vi respuebat, solum vinum vires vitales fere extinctas sustinuit. Aeger nempe, de quo sermo est, pulsum minimum, irregularem, et totam superficiem peticulis confertissimis lividisque, nec non ferox delirium exhibuit. Nullo tamen in aegro morbus majori cum vi incepit, quam in juvene plethorico et irritabili, muneri typographi fungente. Primis jam morbi diebus peticulae copiosae, haemorrhagiae narium continuae, subsultus tendinum cum pulsu frequenti et calore cutis urente comparuere. Bis, duce maximo medico practico, Angliae decore praematura eheu! morte abrepto,

Doctore *Currie*, aqua frigida toto corpore lavatus fuit. Interne praescribebatur infusum foliorum Digitalis purpureae. Calor cutis ab eo tempore moderatus reddebatur, et semel tantum pauças guttas cruoris ex naribus aeger amisit. Successit magna diarrhoea per plures dies durans, cui, quum nullum detrimentum attulerit, nonnisi syrupum Papaveris somniferi opposuimus. Decrescentibus versus finem morbi viribus infusum radicis Valerianae officinalis porrigebatur. Decima quinta morbi aeger convalescens erat, atque nonnisi de tussi conquerebatur, quae redeuntibus viribus quoque evanuit. Hunc aegrum plurimum lavationi frigidae debere, haud dubito; doleo solum, me in caeteris aegrotantibus pro hac methodo constantes quasdam contraindicationes invenisse: quamobrem eam nonnisi semel in auxilium vocare mihi licuit.

Remedia anthelmintica porro in plurimis aegris adhibui, ast sine fructu. Vermes enim non copiosius evacuabantur, quam id sponte, aut sub usu aliorum remediorum, acciderat.

Caput VI.

Febres gastricae.

Locus hic deest, ut totam doctrinam febrium gastricarum, uti eam nunc concepi, exponam. Totus in morbis observandis non potui non quin viam mediam inter eos, qui de hisce febribus ubique somniant, et alios, qui earum existentiam temere negant, legerem. Signa febrium gastricarum revera infida: ast, an certiora ea, quae sthenicas sive asthenicas passiones concomitantur? Quin igitur quocunque in casu, ubi symptomata gastrica occurrunt, ideo mox ad emetica et alvum ducentia recurram; attamen eorum praesentiam non flocci habeo, ac omnia, quae sub critica rerum positione lucem admovere possent, sedulo rimari sum solitus. Causarum examen hic primum locum obtinere, dicis. Non inficior, sed ex eo saepe non semper omnia diluuntur dubia. Nil autem a veritate magis alienum, quam opinio, quod omnino morbus gastricus ex ingluvie aut ab ingestis cibis nocivis oriri debeat. Nonnunquam enim secretio morbosa viscerum chylopöeticorum ventriculum et intestina materiis tum copia tum qualitate peccantibus ita obruere videtur; ut

morbus primarius, qui sane hujus secretionis morbosae causam sistit, ex eo augeatur, et evacuantia saltem ad pravos illius affectus removendos, absolute exigantur. Ast, sunto haec omnia hypothetica; non minus autem verum erit, experientiam quotidie ostendere, dari quasdam febres, quae tum emeticis, tum alvum moventibus, tum utrisque simul perfecte sanantur; dari vero alias, quae praeter hanc methodum et curationem aut antiphlogisticam, aut illi oppositam exposcunt. Claritatis brevitatisque causa licet illas, febres *gastricas simplices*, caeteras vero, febres *gastricas* sive *sthenicas*, sive *asthenicas* nuncupare.

Typhum epidemicum hic descriptum saepius non sine suspicione complicationis gastricae incessisse, ex capite antecedente appareret. Idem interdum de typho prius sporadice regnante dici posse, sequens observatio docet.

Observatio 1. Vir viginti sex annorum iter faciens, a rusticis ebriis prope sylvam verberatus, salutem in fuga per dimidium milliare quaesivit. Domi redux a febre cum cephalaea et tussi, quam nausea et ructus foetidi sequebantur, correptus est. Die 2. Decembris 1805, decima quinta morbi, quin, praeter clysterem et sinapismos, medelam quandam fecisset, ad clinicum delatus fuit. Facies erat rubra, lingua sicca, os amarum, pulsus debilis, frequens, calorque cutis auctus. Praeterea aeger de magna siti, nau-

sea, tussi sicca, et dolore ad regionem epigastrii conquerebatur. Habeat emeticum ex Tartrite Potassae et Antimonii. Peracto ter vomitu, aeger se melius habere dicebat. Cephalaea fuit imminuta, pulsus elevatior 106, nausea et ructus nulli. — Oris vero amarities, sitis, dolor ad regionem epigastricam adhuc aderant. Decoctum Hordei distichi cum Nitrate Potassae et melle acetato porrigebatur. Die decima sexta morbi. Per aliquot horas dormivit, ter alvum liquidam deposuit, de debilitate conqueritur. Capiat infusum florum Arnicae montanae cum Acetate Ammoniae. Decima septima. Omnia in melius. Aeger alvum faeculentam ter deposuit, urina jumentosa, pulsus 95, subsultus tendinum percipiuntur. Capiat alternatim cum medicina granum Camphorae singulis binis horis. Ita morbus decrescendo usque ad vigesimam secundam diem, qua sudore terminatus est, protrahebatur. Die 19 Decembris sanus domum petiit.

Observatio 2. Mulier viginti quatuor annorum, trium prolium mater, septima a partu, sub quo multum cruoris amisit, die, vigesima scilicet secunda Aprilis 1806, auxilium in clinico instituto quaesivit. Facies tunc pallida cum parvo genarum rubore apparuit. Lochia siluere, alvus clausa, borborygmi, decubitus in latus dextrum impeditus, calor auctus, pulsus frequens, debilis, lingua humida albo muco obtecta, cephalaea. Morbo pro febre asthenica declarato, per quinque dies infusum radicis Angelicae Archan-

gelicae, Acetas Ammoniae et Opium porrigebantur; ast incassum. Dolor nempe rebellis in regione iliaca dextra, et alvi tarditas quam maxime aegram molestabant. Vitium gastricum suspicando purgans ex Sulphate Magnesiae iterum iterumque praescriptum fuit. Postquam faeces bis deposuerat, dolor in regione iliaca multum remisit. Alvus per reliquum morbi decursum aperta mansit. Adhibitis parvis Camphorae dosibus sudor universalis die decima sexta mensis superveniens, morbo finem imposuit.

Observatio 3. Olitor quidam viginti quinque annos numerans, robustus, die 28 Aprilis inopinate a febre, cephalaea, oris amarore, ructibus foetentibus, nausea et vomitu correptus est. Septima morbi, postquam decoctum et pulveres sibi incognitos assumpserat, pro clinico electus fuit. Facies flavo colore, genae vero profundo rubore suffusae, lingua sicca muco flavo obtecta, sitis, oris amarities et subsultus tendinum in conspectum veniebant. Nausea et vomitus nulli, alvus aperta. Habeat emeticum ex Tartrite Potassae et Antimonii. Bis inde materiam viridescentem evomuit, ac ter alvum liquidam, urinamque profunde tinctam deposuerat. Pulsus lentior et elevatior erat. Nil nisi cerevisia tenuis pro potu ordinabatur. Die octava morbi alvus quinquies laxata, cephalaea, orisque amarities evanuerunt, sitis moderata. Rc. Carbonatis Potassae drachmam unam. Saturetur cum s. q. succi fructus Citri medicae, adde, aquae Rubi idaei

uncias septem, syrupi Acidi citrici unciam unam. M. D. S. Capiat omni secunda hora unciam unam. Nona morbi. Alvus bis laxata, facies rubra, pulsus 89, elevatus, calor cutis urens. Rc. Aquae fontis libras tres, Acidi sulphurici, syrupi florum Violae odoratae aa q. s. ad gratum saporem. D. S. pro potu. Decima. Alvum ter liquidam deposuit, pulsus constanter plenus, durus 86, facies subfivida, tussis, quae antea pauca erat, nunc frequens, dolorem punctorium ad latus dextrum thoracis excitans, sputa pauca, subsanguinea, respiratio brevis, laboriosa, subsultus tendinum frequentes. Venaesectio ad uncias sex et Nitras Potassae in solito decocto praescribebantur. Vespere. Cruorem in densam insulam concretum sine crusta inflammatoria deteximus; pulsus fuit 78, facies melior, respiratio longe facilior, dolor pectoris sub tussi nullus, et subsultus tendinum minus frequentes inveniebantur. Continuetur in decocto antiphlogistico. Undecima. Dormivit, parum sudavit, calor cutis morbosus imminutus, pulsus debilior, respiratio iterum difficilior, dolor pectoris inprimis sub tussi recruduit, subsultus tendinum uti heri. — Rc. Camphorae granum unum, Nitratis Potassae grana decem M. D. S. Capiat singulis binis horis dosin talem. Vesicatorium ad pectus. Duodecima. Toto corpore sudavit, dormivit, incommoda ad pectus fere nulla, pulsus 67, tendinum subsultus rariores. Continuet in medicamento. Decima tertia convalescit. Die 17 Maii sanus domum petiit.

Epicrisis. Cura hujus morbi revera facile haud fuit negotium. Ob peripneumoniam, quae decima morbi die cum sthenicis symptomatibus supervenit, venaesectionem institui, quam alias in hac febre certe non adhibuissem. Connubium Camphorae cum Nitrate Potassae contradictione plenum plurimis videbitur; aegro autem perbelle conduxit. Magni in arte Viri hac formula cum fructu in febribus, ubi praeter symptomata inflammatoria et nervorum turbae aderant, praegressis venaesectionibus usi sunt, cur igitur eam hypothesium gratia e praxi ejicere deberemus?

Caput V.

Variolae.

Variolae per totam fere hyemem Vilnae sporadice regnarunt, ac testantibus caeteris medicis, non raro infantes non solum, sed et adultos e medio tulerunt. Nescio quo fato haud frequenter mihi occasio obfata sit, aegros hoc morbo detentos tum in praxi privata pertractandi, tum in clinicum institutum suscipiendi. Hic scilicet unicum tantum exemplum tyronibus exhibere licuit. Quum nil memorabile offerat, silentio illud praetereo. Notandum solummodo est, variolas nostra in aegra optimae fuisse indolis, quamvis suppurationis et exsiccationis stadia non ordinate absoluta sint. Pustulae enim variolosae, quo decet tempore, minime disruptae pus non fundebant, sed eo absorpto flavidae reddebantur. Camphora tandem et decoctum corticis Cinchonae officinalis in auxilium vocata, huic malo obvenire haud potuerunt. Urina nullum sedimentum exhibuit, sed saepe largus sudor comparuit. Optima fruens sanitate puella, de cujus morbo sermo fuit, nobis valedixit. Applicationem fonticulorum duorum ad brachia pro majori securitate consului, sed puella hoc auxilium sequi noluit.

Caput VI.

Morbilli.

Mense Maii versus finem vergente morbilli in Orphanotropheo, nec non in privatis civium domibus caput extulerunt, ac adhuc, mense scilicet Junii, regnare continuant. Ne igitur occasio hunc morbum tyronibus ostendendi amitteretur, duas ab eo affectas aegras in clinicum suscepi. Morbus utroque in casu sthenicam indolem exhibuit. Interim symptomata catarrhalia non adeo urgebant, ut venaesectio indicari videretur; quamobrem primum decocto Hordei distichi cum Nitrate potassae et melle acetato impetum febris temperavimus, et deinde, profectiori magis morbo, lenia diapnoica propinata sunt; quorum remediorum sub usu ambae aegrae perfecte convaluerunt. In una earum exanthema ab initio adspectum fere urticariae prae se ferebat. Altera sub stadio convalescentiae pulsum valde irregularem per plures dies exhibuit.

Caput VII.

Erysipelas.

Erysipelas tum faciei, tum extremitatum inferiorum in Vilnae incolas frequenter grassari est solitum. Hoc autem anno contrarium accidit, quare unicum tantum hujus morbi exemplum in clinicum institutum suscipere licuit.

Observatio. Femina quadraginta sex annos nata, die 12 Octobris 1805, sine nota causa febricitare incepit. Altera die, praevio ardore faciei, erysipelas pustulosum ad utramque genam comparuit, ac sensim sensimque sese per totam faciem extendit. Ob hunc morbum aegra die 17 ejusdem mensis in clinico auxilium petiit. Pulsus frequens, vibrans, magnus capitis dolor, os amarum, lingua subsicca atque albo muco obtecta. Alvus mox, ope pulpae Tamarindi indicae, magno cum levamine laxata fuit. Altera die aegra nonnisi potum tepidum accepit. Septima vero morbi, quum sudor sponte jam comparuerit, pulvis radicis Cephaelidis Ipecacuanhae cum Opio ad eum sustinendum porrigebatur. Erysipelas ita per desquamationem dissipatum fuit. Aegra die 25 Octobris sana omnino domum petiit.

Epicrisis. An remedium, quod alvum laxavit, debilitando, aut saburras evacuando profuerit, vix audeo determinare. Venae sectionem illi minime praemisi, quia symptomata inflammatoria non adeo urgebant. Alias enim non minus in erysipelate faciei, quam in quacunque alia inflammatione sanguinem mittendum esse censeo. Erysipelas malignum cum genuino typho aut vera febre asthenica incedens, certe exceptionem facit. Ast erysipelas hoc longe rarius occurrit, quam inexperti, qui ex praeconcepta opinione ubique asthenicae indicia inveniunt, credere solent. Ob neglectam venaesectionem et Camphoram praepostere adhibitam, mortem juvenis cujusdam graeci, gravi capitis erysipelate laborantis ac Viennae defuncti, lacrymor. Ubi vero erysipelas sine gravissimis symptomatibus incedit, methodum expectativam caeteris antepono. Sufficit enim tunc, alvum laxatam servare, impetum febris ab initio ope mixturae ex Nitrate Potassae temperare, ac postremo transpirationi per refractas antimonialium doses prospicere; ut morbus sua sponte spatio septem vel decem dierum feliciter aut per sudorem universalem, aut per urinam sedimento puriformi instructam, evanescat. Hac cum methodo et alteram sanavimus feminam, quae post terrorem a gravi faciei erysipelate correpta, die 4 Junii 1806 ad clinicum deportata est, quod die 22 Junii sana deliquit.

Caput VIII.

Encephalitis.

Observatio. Studiosus chirurgiae, triginta duos annos natus, sat robustus, exceptis haemorrhoidibus semper sanus, aegrotis plurimis typho nostro epidemico laborantibus indefesse adstans, die 16 Maii derepente a lassitudine, capitis dolore, nausea et horrore corripitur. Porrecto illi emetico symptomata augentur ac delirium accedit. Altera die ad clinicum deportatur; ibi inquietudo et jactatio continua deliriis intermixta, risus quasi sardonicus observantur. Dum aeger per momentum unum alterumve sibi praesens est, de capitis dolore, susurru aurium, pectoris oppressione, et oris amarore conqueritur. Facies rubra, oculi splendentes, minaces, pupilla tantulum dilatata, sitis inexplebilis, lingua sicca, tussicula, abdomen molle, ad umbilicum sub attactu dolens, peticulae nullae, calor cutis vix sano major, pulsus 70, sat fortis et constans, dolor surarum. Solutio Nitratis Potassae cum melle porrigitur acetato. Die tertia morbi mane. Noctu per varias horas somno gavisus est. Evigilatus vero in pristinum statum incidit

tremores totius corporis quasi convulsivi, extremitatum frigus, a maculis lividis peticulis non absimilibus coopertarum, supervenere. Urina aquae similis, pulsus 62. Applicentur duodecim hirudines medicinales ad tempora et retro aures. Epispastica ad suras. Illiniatur abdomen Sapone ammoniacali, atque imponantur illi fomentationes calidae. Iniiciatur clyster ex unciis quatuor aquae destillatae et granis tribus Tartritis Potassae et Antimonii. Rc. Radicis Valerianae officinalis, florum Arnicae montanae aa drachmas duas. Infunde c. s. q. aquae fontis fervidae per quadrantem horae. Colatura librae unius D. S. Capiat omni bihorio unciam unam. Rc. Muriatis Hydrargyri grana duo, radicis Rhei palmati grana decem. M. F. pulvis. Dentur tales doses quatuor. Capiat omni bihorio unum alternatim cum medicina. Rc. Herbae melissae officinalis, florum Papaveris Rhoeados aa unciam unam. M. D. S. Species pro thea. Vespere. Hirudines circiter sex uncias sanguinis detraxere. Lipothymiam postea perpessus est. Ea finita aeger applicito clystere per bihorium dormivit. Evigilatus perfecte sibi praesens nonnisi de artuum doloribus conquerebatur. Lingua humida, tremores nulli, sitis longe minor, facies uti mane, calor cutis sanus, maculae illae evanuere, pulsus elevatus 69. Alvus faeculenta sine vermibus mota. Nonnisi semel medicinam assumpsit. Bibat potum theanum. Die quarta morbi. Optime per totam noctem dormivit, urina sani hominis, alvus mota, pulsus 85. Aeger nonnisi de occipitis dolore conqueritur. Rc. Tartritis Po-

tassae et Antimonii granum unum, solve in aquae destillatae libra una, adde syrupi fructus Berberis vulgaris unciam unam. D. S. Capiat omni bihorio unciam unam. Die quinta morbi. Sub totius corporis sudore placide per totam noctem dormivit, dolor occipitis evanuit, caetera sano modo constituta. Appetitus viget. Convalescens usque ad 22 Maii in clinico mansit, qua die sanus omnino exiit.

Epicrisis. Arduum, quinimmo impossibile fuit primo intuitu diagnosin hujus morbi statuere. Probabilitas contagii suscepti, dolor surarum epidemiae nostrae communis typhi; delirium vero secunda jam die ortum, faciei oculorumque conditio, nec non pulsus lentior sano de encephalitide, vel saltem de aliqua inflammatoria, forsan haemorrhoidali cerebri affectione, suspicionem moverunt. Accessit dubium de vermibus hujusmodi constitutioni admodum familiaribus; quae suspicio a casu admodum simili quondam in nosocomio ticinensi observato confirmari videbatur. Ibi enim vir quidam a febre magna cum deliriis, singultu et tremoribus corripitur et obiit. Secto cadavere ascaridum lumbricoidum cohors in tractu intestinorum, praeter omnem expectationem, inventa est.

Sub tanta rerum apud nostrum aegrum obscuritate, prima die, diagnosin diuturniori observationi committere volui. Ne igitur in morbo incognito nocerem, solutionem tantummodo ex Nitrate Potassae propinandam esse credidi. Altera vero mane, crescente, imminente pe-

riculo, necessitas ad activa remedia recurrendi palam reddebatur. Cum interim de morbi natura necdum certum judicium proferre mihi licuerit, eam per methodum complicatam explorare, aut, ut ita dicam, tentamini subiicere, mihi proposueram. Minime in errorem ductus fui: effectus enim egregii hirudinum indolem morbi satis ostenderunt; quam ob rem sepositis caeteris remediis, methodum antiphlogisticam secutus sum. An igitur licebit ad encephalitidem concludere? An non potius ad ad paroxysmum maniae ex vitio haemorrhoidali? Quum et hoc ultimo in casu plethora ac status sthenicus cerebri praesens fuisset, non valde me errare credo, morbum pro encephalitide declarando.

Experti dicant practici, quisnam exitus hujus morbi fuisset, si illum, ut nunc inter plures mos est, statim pro typho declarassem, ac methodo sic dicta excitante perirritassem? O! quam difficile est, morborum naturam penetrare!

Caput IX.

Apoplexia.

Observatio. Typographus, viginti quatuor annos natus, robusto floridoque corporis habitu praeditus, a consuetis haemorrhagiis narium a duobus annis liberatus, die 22 Aprilis 1806 a capitis dolore, lassitudine, diarrhoea, ructibus foetentibus, oris amaritie et a febre correptus fuit. Pulvis radicis Cephaelidis Ipecacuanhae et Opii porrigebatur, a quo, cessata diarrhoea, vomitus et sudor moti sunt. Durante hoc ipso sudore aeger, sub tempestate frigida, domo exiit. Redux inopinate vocem motumque amisit, subsequentibus sopore, facie livida, oculis fixis lacrymantibus, respiratione stertorosa, et sensuum internorum abolitione, cum pulsu, uti referunt, contracto et sano frequentiori. Iniiciebatur clysma ex infuso florum Matricariae Chamomillae. Aeger post tres horas sudore coopertus, ab omnibus fere symptomatibus liberabatur. Postero nempe mane tantummodo de capitis gravedine et vertigine quaerelas fecit. Ast hora quarta pomeridiana

ejusdem diei a simili paroxysmo, praevio horrore, correptus est. Post trihorium interim sudare incepit apparente furioso delirio. Paulo tardius in pristinum statum apoplecticum incidit, urinasque inscius deposuit. Vesicatorium ad nucham applicabatur. Die 26 ejusdem mensis *mane* ad clinicum fertur. Facies rubra, aures lividae, frons calens, pupilla contractilis, os spasmodice clausum, deglutitio deleta, respiratio lenta non stertorosa, extremitates subfrigidae, lividaeque; pulsus debilis vix sano frequentior, sensus interni motusque aboliti, venter mollis in conspectum veniebant. Venaesectio in pede instituitur, atque sanguis ultra libram detrahitur. Sub ipsa hac operatione respiratio profundis suspiriis intercipiebatur, maxillae inferioris spasmus remisit, deglutire aeger potuit, et pulsus elevatior reddebatur. Ut erectus in lectulo sederet, ac potionem citratam frigidam biberet, jussimus. *Vespere.* Post meridiem aeger omnino ad se rediit, ac de capitis tantum dolore conquerebatur. Die 27 Aprilis *mane.* Noctu bene dormivit, sudavit, urina copiosa, alvus clausa, capitis dolor pene nullus, respiratio sana, pulsus plenus, sano non frequentior. Nihil, nisi sensum admodum molestum ardoris interni accusabat. Solutionem Nitratis Potassae in libra aquae cum uncia una syrupi baccarum Oxycocci palustris et ad vesperas clysterem propinavimus. Die 28 sudavit, ardor ille evanuit, ceterum nil morbosi. Post aliquot dies omnino sanus clinicum dereliquit.

Epicrisis. Fateor, me nunquam ad lectulos aegrorum, relate ad diagnosin et medendi methodum, magis, quam hoc in casu haesitasse. Prima idea fuit, febrem intermittentem perniciosam apoplecticam latere posse. Ast febres intermittentes vix hoc tempore grassabantur, ac more hic solito admodum benignae fuere. An igitur morbus ex diarrhoea incaute suppressa? An a sudore retropulso? An a veneno narcotico? An vero a plethora? Omnibus ad trutinam revocatis, ultimam opinionem, utpote probabiliorem, amplexus sum. Aetas, habitus corporis, haemorrhagia consueta suppressa, ita jubere videbantur. Sectionem venae jugularis externae elegissem, nisi ea prorsus invisibilis fuisset. Idem de venis brachii dicendum. Quamobrem immissis pedibus in aquam tepidam, ibi vena, me adstante, secabatur. Quonam cum effectu hoc factum sit, ex morbi historia abunde patet. Ea non minus de virtute Nitratis Potassae ad calorem urentem internum temperandum testatur.

Summo numini gratias ago, quod mihi talem aegrum nunc, et non eo tempore, quo dogmatibus *Brunonis* addicebar, commiserit. Facile enim hujusmodi aegrum tunc temporis trucidassem. Quisnam nimirum ex *Brunonis* asseclis, sub tali rerum positione, venam secare ausus esset? Quis inter eos, potius Aetherem sulphuricum aut Ammoniam, aliaque irritantia non adhibuisset? Tali pa-

cto vir quidam Viennae a medico ceterum maximo pertractabatur, qui inopinate humi apoplecticus jacuit. Hemiplegia cum fatuitate apoplexiam secuta et aeger ita ad nosocomium delatus est. Per annum fere ibi miserrimam vitam duxit. Secto cadavere magnum abscessum in uno e ventriculis cerebri reperii.

Caput X.

Mania.

Observatio. Judaea puella quindecim annorum, e sanis parentibus originem ducens, a prima jam infantia animo quammaxime irritabili praedita, necdum menstruata, post mortem patris a matre valde egena avi manibus commissa fuit. Apud eum plures per annos vitam beatam ducebat; quum quinque abhinc annis a matre, quae iterum matrimonium inivit, domum revocata fuerit. Filia moesto, ac mala quasi praesagiente animo nutui matris obedivit. Revera a novis parentibus aspere pertractabatur. Medio mense Aprilis 1806 illi iterum venia domum avi adeundi concedebatur. Cum ad eam appropinquaret, amicarum cohors illi obviam venit, quarum adspectu puella ita quassabatur, ut mox in convulsiones incideret. Iis paulo post cessantibus, faciei pallor cum judiciis futurae alienationis mentis comparuit. Enixe enim aegra adstantes, ut eam relinquerent ac illi parcerent, rogabat, ac quum hoc incassum fieret, oculos vi claudebat. Noctes mox insomnes agebat, atque jactationes continuae accedebant. Die octava morbi, Aprilis vero

24 in clinicum institutum suscepta est. Oculos prominentes, splendentes, rubentes faciem vero pallidam et conturbatam offerebat. Magna porro loquacitas, et idearum confusio, simul cum motibus convulsivis capitis et membrorum, nec non dentium stridore, observabantur. Pulsus haud frequens, sed debilis et contractus, lingua humida, sitis ingens, abdomen molle, appetitus viget. Aegrae attentio versus omnia objecta, inprimis vero versus ea, quorum existentiam ope auditus percipiebat, dirigebatur. Quindecim guttae tincturae opii compositae ad vesperas porrectae fuere. Dormivit postea usque ad quartam matutinam. Vix autem evigilata in pristinum, immo in pejorem statum incidebat. Solutionem Tartritis Potassae et Antimonii, et duo vesicatoria ad suras praescripsimus. Assumptis sex granis emetici vomitus biliosus secutus est; ac noctu per trihorium placide dormivit. Mane decima morbi. Quaestionibus aegra longe melius respondit, capitisque dolorem accusat. Caeterum valdopere timida apparet. Continuet in solutione, minus tamen saturata, Tartritis potassae et Antimonii; ac habeat sinapismos ad plantas pedum. Diaeta vegetabilis. Hoc in statu per tres dies mansit, quo tempore bis terve de die vomitum patiebatur. Die decima quarta morbi plus quam antea de capitis dolore querelas faciebat. Applicentur duodecim hirudines medicinales retro aures et ad tempora. Die sequente aegra sibi omnino praesens fuit. Magnam vero atque intolerabilem nauseam accusabat; et bis vo-

muerat. Concessa per diem unam quiete, altera iterum solutio emetica praescribebatur, quae usque ad diem vigesimam morbi continuata est. Aegra per totum hoc tempus nulla alienationis indicia dedit, si aliquam oculorum conturbationem excipiamus. Tandem et hoc signum evanuit. Puella nihilominus usque ad diem 16 Maii in clinico detinebatur, quo tempore tum laboribus domesticis, tum hominum consortio adsuescebat. Parentes, serio moniti, eam humaniter in propriam domum recepere.

Epicrisis. En maniam mitem ex nimio, uti videtur, gaudio ortam. Possibile fuisset morbum, utpote valde recentem, tum cum encephalitide, tum cum febre nervosa confundere. Aliqua, saltem mihi, nota sunt exempla, ubi aegri febribus hujusmodi laborantes, pro maniacis declarati fuere. Hoc tunc inprimis accidere videtur, ubi pulsuum conditio febrem non indicat, et ubi exanthemata, febribus nervosis alias communia, haud observantur. Ut sub hac rerum positione lux affulgeat, statum virium vitalium inprimis considerandum esse reor. Nam, licet in febre nervosa aegri interdum vires sani hominis, immo et majores, ostendant; eae tamen nec ita certae, nec ita constantes, uti in mania, esse solent. Vix enim homo febre nervosa laborans pedibus per totam diem insistere atque deambulare posset, quod maniaci ut plurimum facile praestant.

Quum morbus, de quo loquimur, ex ani-

mi pathemate originem duxerit, atque nulla, uti videbatur, plethorae, seu saburrarum indicia adfuerint, opium propinavi. Hoc sine fructu factum fuisse, morbi historia docet. Docet vero simul, quanta emeticorum et hirudinum potentia, in morbo tam gravi celeriter tollendo fuerit. Quomodocunque enim Tartris Potassae et Antimonii hic agat, illius efficacia in mania, uno ore ab omnibus Europae medicis laudatur. Interim et humanitatem, qua aegram pertractavimus, non parum ad illius sanationem contulisse, persuasum habeo.

Caput XI.

Peripneumonia.

Quo tempore febres catarrhales et rheumaticae apud nos regnavere, peripneumoniae ejusdem indolis, gradu sane tantum ab illis diversae, saepius sese prodiderunt. Hanc opportunitatem arripui, ut tyrones monerem, ne in errorem hodiedum sat communem inciderent; febres scilicet catarrhales fortiores pro peripneumonia declarando. Quamvis enim haud possibile sit, limites certos inter hos morbos statuere; est tamen in peripneumoniis gravis et periculosi quid, quod in febribus catarrhalibus nequaquam animadvertitur. Huc inprimis difficultas illa respirandi, pulmonum inflammationi familiaris, pertinet; ne de aliis symptomatibus vulgatissimis sermonem instituam.

Sex *peripneumonias rheumaticas* in institutum nostrum suscepimus; quarum una aperte sthenicam simul indolem manifestabat; caeterae vero simplicem, febribus rheumaticis propriam, et uti monui, nec ad stheniam, nec ad astheniam facile revocandam naturam ostendebant. Primo in casu praeter signa pe-

ripneumoniae et symptomata rheumatismi totum brachium dextrum occupantis, motumque omnem impedientis, observabantur. Octava tantum morbi die, 15 mensis Martii, ad nos delatus est aeger. Constitutio ejus robusta, pulsus plenus et durus, ac gravia admodum signa inflammati pulmonis, de necessitate venaesectionis dubium non reliquerunt; quare libram cruoris detraximus, praescribendo simul decoctum Hordei distichi cum Nitrate Potassae et melle acetato. Maximum levamen mox peracta venaesectione obtinebatur. Vespere diarrhoea, altera vero die sudor universalis morbum quammaxime infregerunt. Continuante sudore quaque nocte per tria nychthemera ad convalescentiam perductus est aeger, qui die 23 ejusdem mensis clinicum sanus dereliquit.

Quinque illae peripneumoniae rheumaticae venaesectionem, nec remedia vehementer excitantia requirere videbantur. Contra eas igitur simplicem admodum methodum in auxilium duxi. Ab initio decoctum radicis Althaeae officinalis cum syrupo ejusdem, adjecta hinc inde uncia una Acetatis Ammoniae, propinavi. Vix non in omnibus mox vesicatorium pectori admovebam, quod semper cum incredibili levamine factum est. Aegri simul infusum sic dictum emolliens copiose bibebant. Ad tussim moderandam, nunquam sine fructu, sequente linctu usus sum. Rc. Olei nucleorum Amygdali communis, mucilaginis gummi Mimosae niloticae, syrupi Papaveris

somniferi āā unciam unam. Affunde, sive aquae communis, sive Rubi idaei, sive Papaveris Rhoeados uncias septem. D. S. capiat omni hora unciam unam. Versus finem vergente morbo, quod utplurimum septima aut decima die, raro tardius, contingebat, pulvis radicis Cephaelidis Ipecacuanhae cum Opio porrigebatur. Morbus ita sudore saepius, sine sputis, apud omnes perfecte solutus est.

Quatuor fuere *peripneumoniae sthenicae* a nobis pertractatae; quarum historiae singulae memorabilis, licet non novi, quid ostendunt. Quum peripneumoniae hujusmodi nullis symptomatibus rheumatismi stipatae, ac methodo antiphlogistica, vel saltem magna ex parte devictae fuerint, eas pro genuinis sthenicis declaravimus.

Observatio 1. Auriga quadraginta annorum, robusta corporis compage praeditus, cum refrigerium passus esset, die 9 Octobris 1805, in gravem peripneumoniam mox incidit. Tertia morbi die ad clinicum defertur, ubi cutem madidam, et pulsum frequentem, plenum, sed mollem, observavimus. Nil nisi decoctum Hordei distichi cum Nitrate Potassae et melle acetato praescriptum fuit. Quarta die mane morbus idem, sudor vero universalis apparuerunt. Vespere continuante sudore profuso morbus idem. Instituatur venaesectio ad uncias novem. Quinta morbi die sanguis denso corio coopertus dormivit per aliquot horas, tussis aucta, sputa minus sanguine tincta, pulsus 110, alvus quater laxata, sudor continuat. Habeat lin-

ctum. Sexta die morbi mane uti heri. Vespere facies rubra, oculi splendentes, loquela ob respirandi difficultatem brevis, tussis non aucta, sed sputis cruentis absolvitur, lateris dolor urget, sudor nullus, pulsus idem; repetatur venaesectio ad libram unam. Morbi die septima mane respiratio facilior, et lateris dolor imminutus; non dormivit, facies sublava, gena sinistra dextra rubicundior, tussis sicca. Repetatur linctus, et inspiret vapores aquae tepidae ope spongiae. Vespere idem status. Applicetur vesicatorium loco dolenti. Octava bene dormivit, symptomata ad pectus valde imminuta, pulsus 82. Nona in melius. Decima sudor universalis; convalescit. Die 25 sanus dimittebatur.

Epicrisis. Diu nimis hoc in aegro venaesectionem procrastinavi; sperabam enim sudorem criticum fore, qui revera nonnisi symptomaticus fuit. Hujus erroris, de quo *Mussitate* *) medicos rite monuit, memor, melius sequenti in casu egi.

Observatio 2. Floridus juvenis vigesimum vere annum attingens, peripneumonia a tribus diebus laborans, die 17 Aprilis in clinicum suscipitur. Pulsus plenus, facile vero comprimendus, atque maculae peticularum formam referentes, venaesectionis indicationem dubiam reddebant; quamobrem decoctum Hordei distichi cum Nitrate Potassae et syrupo

*) Sammlung auserl. Abh. für pr. Aerzte. II. B. p. 648.

baccarum Oxycocci palustris porrigebatur. Quinta die ad vesperas pulsus plenus, vibrans, oculi splendentes, pectoris dolor ac respirandi difficultas, et tussis frequens, sicca adaucta erant; toto corpore sudavit. Instituatur venaesectio ad uncias octo. Die sexta incredibile levamen post venaesectionem sub sudore adhuc copiosiori. Die septima iterum aeger sudavit, tussis rara, sputa puriformia, pulsus sani hominis. Diebus sequentibus convalescentia, ac 24 Aprilis sanitate fruebatur.

Observatio 3. Purgatrix triginta tres annorum, octava morbi die, 26 Januarii ad nos defertur. Habitus corporis robustus, facies subrubra, oculique splendentes, respiratio laboriosa, dolor lateris sinistri pungens, a respiratione profundiori et tussi sicca auctus, cum impedito decubitu in latus dolens. Pulsus 65 tantum ictuum, sed plenus et vibrans, calor cutis non morbosus, urina aquosa. Vena ad uncias octo sauciata, et decoctum consuetum antiphlogisticum propinatum est. Cruor densa crusta inflammatoria obtegebatur, et omnia symptomata multum remisere. Per sequentes enim dies, tussis sicca tantum aegram vexabat; quamobrem lenia diapnoica et linctum in usum traximus, quae morbum sine excretione sanarunt. Die 11 Februarii femina prorsus sana clinico valedixit.

Epicrisis. En exemplum peripneumoniae sine febre, saltem in pulsu, incedentis. Similes observationes apud *Haen* occurrunt *). Eo

*) Rat. Med.

facilius fuisset, nostro in casu morbum pro spasmodico habere, quum urina pallida admodum fuerit. De sthenica sive inflammatoria illius indole dubium tamen nullum superesse, existimo.

Observatio 4. Vidua 25 annorum, gracilis, quatuor prolium mater, ulceri mammae quondam, ac saepius catarrhis subjecta, a quindecim jam mensibus proprio infanti ubera praebens, cum refrigerium passa esset, die 23 Aprilis a peripneumonia corripitur. Septima morbi die ad clinicum delata, pondus super totum pectus, dolorem vero lateris sinistri thoracis, respirationem difficilem, brevem, decubitum in latus magis affectum omnino denegatum, tussim siccam, omnia mala augentem, cum febre observavimus. Facies erat rubra, calor cutis auctus, sed non urens, oculi splendentes, lingua in medio sicca, pulsus 112, contractus, vibrans, ac sub tussi intermittens. Venae sectio ad uncias septem et decoctum consuetum antiphlogisticum praescribuntur. Vespere sanguis corio obtectus, respiratio facilior, pulsus magis elevatur, caetera uti mane. Repetatur venaesectio. Die morbi octava detracto sanguine, crusta inflammatoria instructo, profundius inspirare potuit, dolorque valdopere remisit; tussis tamen, licet minus sicca, aegram excruciabat. Decubitus in latus affectum adhuc impeditus, immo aegra per plures horas noctu erecta sedebat. Habeat linctum et continuet in decocto. Pulsus 100, elevatior. Die nona tussis cum sputis puriformibus, sanguine mixtis absolvitur, do-

lor pectoris vix ullus, profunda inspiratio fere omnino concessa, decubitus in latus affectum facilior. Continuet. Die undecima toto corpore sudavit, apyrexia. Per totum, sat diu protractum, convalescentiae stadium aegra a variis symptomatibus hystericis excruciabatur. Per plures dies dolorem ad latus sinistrum thoracis persentiebat, vesicatoriis non domandum, qui vero applicato cortice Daphnes Mezerei disparuit. Aegra ita ab omnibus, inprimis pectoris, incommodis liberata domum petiit.

Epicrisis. Historia haec docet, examen causarum non semper morbi indolem ostendere, et saepius plus symptomatibus fidendum esse. Quisne in femina gracili, valetudinaria, a diu protracta lactandi ratione exhausta, a frigore in morbum conjecta, statum stheni-cum expectasset? Certe non ille, qui peripneumoniarum naturam ex *Hornio* *) eruere Attamen symptomata vehementissima peri pneumoniae, suffocationis periculum, absenti symptomatum typhi, pulsus vibrans, aetas flo rida, faciei rubor, oculorum splendor, venaese ctionem postulare mihi videbantur; qua bis per acta, morbus fere omnino devictus fuit. Vel lem igitur, ut tyrones memores sint, intimam peripneumoniae naturam nos latere, notionem stheniae valde imperfectam; et actionem ve

*) Ueber Erkenntnifs und Heilung der Peripneumonie von *Ernst Horn.* Frankfurt am Main 180 Viertes Kapitel. Diagnose der Arten der Peripneumonie. §. 2.

naesectionis obscuram esse, vel saltem non in sola virium diminutione consistere. Ita enim salutem aegrorum minime vanis speculationibus submittent, sed adhibitis remediis a diuturna praxi, sub variis et determinatis aegrorum positionibus comprobatis, eorum vitam, quousque id fieri licet, salvabunt.

Legant, ut hunc scopum attingere queant, imprimis ea, quae *Baglivius* *) de curatione peripneumoniae nobis reliquit. Meliora, licet non ab omnibus erroribus purgata, nullibi invenient. Videbunt et hunc Cl. practicum, peripneumonias, quae venaesectionem expostulant, ab illis, quae Camphora, spiritu ita dicto fuliginis et potu aromatico fervido pertractandae sunt, sedulo a se invicem distinxisse. Quod et nos hoc in clinico non negleximus.

Quatuor scilicet *peripneumonias asthenicas* et quidem gravissimas, hic feliciter cum decocto radicis Polygalae, tum Senekae, tum camphorae, nec non Camphora, et oxydo antimonii hydrosulphurato luteo, adhibitis simul vesicatoriis, pertractavimus. Aderat in omnibus magna virium jactura, et in quibusdam parte systematis nervosi affectio. Duae aegrotae, hoc morbo laborantes, etiam Ascarides lumbricoides evacuarunt. Una earum sub finem, a sopore proximo, dentium stridorem patiebatur, ac pulsum debilem 135 mitantem. Sudor die decima morbi, ex alvo

*) l. c. Lib. I. Cap. IX. et appendice.

vermes, crisin constituerunt. Idem sed imperfecte magis in secunda aegra die duodecima morbi contigit. Morbus enim in ea usque ad decimam octavam diem protrahebatur. In juvene quodam quindecim annorum peripneumonia ex hypocausto nimis calefacto et aëre, fumo carbonum inquinato, originem duxit.

Videri possit ex binis observationibus, peripneumonias illas potius gastricas sive verminosas fuisse, et sic forsan ab initio res se habuit. Ast quum ambae tantum die nona morbi ad nos delatae sint, et de proprio morbo vix rationem reddere potuerint; quumque simul magna virium prostratio mortis proximae timorem incusserit, morbum pro sic dicto asthenico declarandum fuisse existimavi. Interim cum diarrhoea serius orta nil mali, sed potius levamen attulerit, eam nequaquam supprimere volui.

Peripneumoniae tandem duae *traumaticae* in clinicum susceptae sunt. Una earum in femina quadraginta quinque annorum, quindecim infantum matre, ex ictu, ab aggressore quodam lateri dextro pectoris, sine costarum fractura, illato, orta erat. Aegra spatio quindecim circiter dierum ope saponis ammoniacalis et fomentationum pectori impositarum, porrectis simul interne remediis mucilaginosis, sanata fuit. Altera in viro robusto quinquaginta annos nato a contusione dorsi ad regionem inferiorem scapulae sinistrae per temonem currus, ab equis cum impetu tra-

cti, orta fuit. Febris vehemens et graviora symptomata peripneumoniae, a venaesectione bis instituta evidenter mitigata fuere. Remanens tussis sicca, et nocturna inquietudo per opium ad vesperas porrectum sedata sunt; calidae fomentationes per totum decursum morbi loco dolenti applicabantur. Aeger post mensem, si excipiamus levem dolorem ad locum contusum, omnino sanus dimissus est.

Caput XII.

Phthisis pulmonalis.

Dirissimo hoc morbo laborantes quatuor in clinicum institutum recepi.

Observatio 1. Vir triginta octo annorum, valetudinarius, haemorrhagiae narium et ulceribus chronicis pedum subjectus, venaesectionibus abutens, mense Aprilis 1804, cum refrigerium passus esset, a catarrho correptus fuit; cui deinde, quum scilicet aeger magnum pondus elevasset, haemoptysis cum dolore pectoris et febre lenta supervenere. Susceptus a nobis die 24 Septembris, 1805 phthisin pulmonalem confirmatam deteximus. Sputa purulenta, immo ichorosa, ita foetebant, ut nunquam mihi simile quid obvenerit. Succus expressus herbae Urticae dioicae ad uncias sex, tribus vicibus spatio nychthemeri sumendus, praescribebatur. Die sequente vero miser, ob intolerabilem foetorem, quo cubicula clinica, non sine gravi aliorum aegrorum molestia, replebat, ad aliud nosocomium deportatus fuit. Ibi die 17 Octobris ejusdem anni obiit.

Epicrisis. Haemorrhagiae frequentes, ulceraque, quibus aeger antea laboraverat, atque sputorum insignis foetor, dubium de diathesi scorbutica moverunt. Dubium hoc, ex habitu aegri cachectico, et a gingivis, sub minima frictione, sanguinem fundentibns, confirmabatur. In genere diathesin scorbuticam in phthisi pulmonali aliquando non parvam scenam ludere, pro certo cum aliis teneo. Quum hoc ipso ex fonte plurimis in locis haemorrhagiae et ulcera originem trahant; non mirum est, si haec mala adhuc facilius in tenerrimo pulmonum contextu contingant. Ipsum catarrhum chronicum, praesertim in senibus, interdum scorbuticam indolem assumere, tum ex propriis, tum ex aliorum observationibus compertum habeo. Episcopus quidam tussi diuturna, non sine phthiseos metu, excruciatus sub usu herbarum antiscorbuticarum recentium a genitore meo nuper sanitati restitutus fuit.

Minime interim in morbis pectoris ob solum sputorum vel halitus foetorem mox de diathesi scorbutica vel de ulceribus pulmonum concludendum. Quoties non halitus hominum, perfecta ceterum valetudine gaudentium, intolerabilem odorem spirat? Sed et ipsis in morbis hoc symptoma, quin pulmonum structura laesa sit, interdum occurrere videtur. Parens meus quinque circiter abhinc annis nobilissimum juvenem catarrho chronico laborantem Viennae curavit, cujus sputa adeo foetebant, ut ichor, ex ulcere impurissimo scaturiens, pejus olere non potuis-

set. Nihilominus a methodo corroborante et nutriente omnino restitutus fuit. Hoc ipso temporis momento casum admodum memorabilem sub oculis habeo. Puellula quatuor circiter annorum, a parentibus nobilibus originem ducens, jam a biennio tussi violenta laboraverat, cui postea haemoptysis, febrisque lenta sese associarunt. Sputa puriformia hujus aegrotulae adeo foetebant, ut eorum odor tenerrimae matri intolerabilis videretur. Tandem, quum omnes interitum ex phthisi timerent, puellula tussi effraeni, non sine suffocationis metu, accedente, pus multum sanguine mixtum ore rejecit, quod spicam circumdabat frumentariam, quae, licet semiputrida esset, tamen figuram propriam evidenter retinuit. Hoc coram matre, ab omni certe fraude alienissima, supervenient illico medico ordinario clarissimo Professore *Sniadecki*, contigit. Ab eo tempore symptomata ita remisere, ut nunc maxima sanationis spes affulgeat.

Observatio 2. Vir triginta annorum, quin antea ad phthisin pulmonalem praedispositus videretur, ex catarrho neglecto in hunc morbum tamen incidit, ac quarto ex amissa valetudine mense, die 21 Septembris 1805 ad clinicum defertur. Praeter symptomata consueta phthiseos provectae, diarrhoeam vires quammaxime exhaurientem, per tres menses durantem, inde a primo ergo jam morbi mense ortam, aeger accusabat. Instituta mox prognosi lethali, curam inchoavimus cum decocto radicis Althaeae officinalis et infusione

Glycyrrhizae glabrae. Paulo post ad radicem Orchidis masculae (Salep) addito scrupulo uno foliorum Digitalis purpureae, sub forma decocti, pervenimus. Aucta dosi hujus ultimi remedii ad scrupulos duos aeger magnam debilitatem, dolorem super orbitam ac vomitum expertus est. Pulsus, qui antea septuaginta duos ictus primo minuto absolvebat, nunc sexaginta ictus edidit. Seposito igitur remedio, nil aliud nisi infusum florum Matricariae Chamomillae porrectum est. Die 8 Octobris sequens formula praescribebatur. Rc. Seminum Phellandrii aquatici drachmas duas. Infunde c. s. q. aquae fontis fervidae per quadrantem horae. Colaturae unciarum decem adde syrupi cort. Citri Aurantii unciam unam. Tussis minor et sputa facilius reddebantur, sudores vero valde urgebant. Rc. Tincturae aromaticae sulphuricatae (Elix. Mynsichti), Tincturae Opii compositae (Laud. liquid. Sydenh.) $\frac{1}{aa}$ drachmam unam. Capiat ad vesperas guttulas quindecim. Aeger nocte sequente non sudavit. Profuse vero altera nocte sudavit, licet viginti guttas hujus medicamenti assumserit. Aucta adhuc dosi illius ad guttas viginti quinque, usque ad triginta, sudor per sex dies sequentes vix aut ne vix quidem in conspectum veniebat. Quum deinde effectum non amplius praestarent hae guttulae, simul cum infuso seminum Phellandrii aquatici sepositae fuere. Aegri vires magis fractae apparebant. Infusum herbae Hyssopi officinalis cum syrupo exhibitum fuit. Post quinque dies epistaxis orta est. Loco pristini reme-

dii propinabatur. Rc. Rasurae cornu Cervi Elaphi unciam semis, coque in s. q. aquae fontis par dimidiam horam. Colaturae librae unius et semis adde, sacchari albi unciam unam. Detur pro potu. Die 27 ejusdem mensis aegrum debiliorem invenimus, quare omni bihorio pulverem ex grano uno Camphorae porreximus. Melius se habere aeger affirmabat, sed sudores augebantur. Die 2 Novembris aquam Hyssopi officinalis cum mucilagine gummi Mimosae niloticae et syrupo balsamico praescripsimus. Per quinque dies sine mutatione rerum in hoc remedio continuatum fuit, deinde concessa prius aegro libertate nulla medicamenta per duos dies sumendi, Acetas Plumbi ordinabatur. Diarrhoeam, quae hucusque alternatim mox apparuerat, mox iterum evanuerat, sub hujus remedii usu auctam vidimus. Sedata fuit per tincturam Opii compositam ad guttas octo cum infuso florum Matricariae Chamomillae sub forma clysterum, seposito simul Acetate Plumbi. Accessit vero pedum oedema cum urinarum fluxu imminuto. Fumigationes ex baccis Juniperi communis pedibus applicandis et decoctum radicis Orchidis masculae cum Aethere nitrico alcoholisato nec non syrupo Papaveris somniferi propinabantur. Urina evidenter aucta fuit, ac pedum oedema non increvit. Die 22 Novembris dolor pectoris misero magnas molestias inferebat. Unguento Althaeae partem dolentem inungi, cum aegri solatio, jussimus. Pulsus praeter consuetudinem irritatus erst; ordinavimus: Rc. florum Papaveris Rhoeados

unciam semis. Infunde per quadrantem horae s. q. aquae fontis fervidae. Colaturae libras unius adde syrupi Papaveris Rhoeados unciam unam. Huic medicinae ob somni defectum et diarrhoeam colliquativam scrupulum unum Electuarii Theriacae deinde adjecimus. Medicamentum hoc somnum quidem conciliavit, sed alvus uti pridem movebatur. Pulvis igitur radicis Cephaelidis Ipecacuanhae cum Opio porrectus fuit. Diarrhoea siluit. Ita aeger miserrimam vitam usque ad 17 Decembris traxit; quo tempore, ne quid malorum deesset, angina phthisicis, animam agentibus, propria comparuit. Emplastrum Trifolii meliloti officinalis cum Camphora collo appositum levamen attulit. Viribus de die in diem magis decrescentibns liquor Carbonatis Ammoniae empyreumaticus postremo in auxilium ductus est. Die 5 Januarii 1806 suffocatus periit. Cadaveris sectionem affines non permiserunt.

Epicrisis. Ne vitio mihi vertas, amice lector, me observationem, quae, excepta diarrhoea primo jam morbi mense orta, nil memorabile offert, fusius, quam soleo, exposuisse. Opportunitatem enim ita mihi parare volui, de quibusdam remediis, in phthisi commendatis, breviter disserendi, quae, licet morbum ipsum nequaquam vincere possint, attamen aegrorum miseriis saepe saepius prospiciunt, ac medico infirmorum fiduciam ad morbi finem usque conciliare solent.

Curam aegri nostri cum remediis, sic

dictis, emollientibus incepi; quum experientia me certiorem reddiderit, medicamenta hujusmodi in phthisi, ex peripneumonia sive catarrhis neglectis orta, atque jamjam febre hectica stipata, ut plurimum longe melius, quam roborantia, inprimis fortiora, conducere.

Folia Digitalis purpureae, quin multum hoc in casu ab illis expectassem, usurpata fuere. Ea nempe praesertim in phthisi, quam floridam dicunt, quaeque cum haemoptysi, pulsuque pleno, vibrante incedit, indicatur. Quare melius forsan fuisset, si Digitalem purpuream aegro meo, utpote viribus jam nimis fracto, non praescripsissem. Malae sequelae interim hujus remedii, ope infusi florum Matricariae Chamomillae, perfecte devictae fuere, quod jam saepius expertus sum. In graviori tamen casu ad aquam destillatam corticis Lauri Cinnamomi, nec non ad Aetherem sulphuricum confugere debui.

Semina Phellandrii aquatici in ea specie phthiseos, de qua sermo est, nunquam cum damno, saepissime vere cum levamine praescripsi; illaque melioribus remediis destitutus commendare audeo. Sputa abhinc ut plurimum copiosius evacuari, ac aegri placatiores evadere solent.

Partes aequales Tincturae aromaticae sulphuricatae, atque Opii compositae vespere a quindecim ad quadraginta usque guttulas porrectae, in sudoribus phthisicorum colli-

quativis, pro tempore saltem, sive imminuendis, sive etiam tollendis, omnibus aliis remediis hucusque cognitis palmam praeripere, diuturna experientia edoctus sum. Nec facile ex hoc remedio consuetos Opii effectus pravos, alvi scilicet obstructionem, obnubilationes etc. observavi.

Quin in Hyssopo officinali vires pectori, specifico modo, amicas videam, testari tamen possum, eum phthisicis, debilitatem magnam accusantibus, non plethoricis, praesertim ubi symptomata hysterica aut hypochondriaca simul occurrunt, non raro levamen afferre. Seposui infusum Hyssopi in aegro, de quo sermo est, comparente epistaxi, atque decoctum rasurae cornu Cervi Elaphi exhibui, quo phthisici sat libenter, et certe sine damno, uti solent.

De Acetatis Plumbi in phthisi usu vix proprias experientias habeo. Miror eum in nostro casu alvi profluvium non sólum non imminuisse, sed, uti videtur, auxisse.

De Opii virtute in phthisi multa dicenda forent, si locus id hic permitteret. In aegro nostro diarrhoea profusa, vires exhauriens, quae noctes insomnes reddebat, revera hujus remedii usum postulabat. Opium hoc in casu, sub forma clysterum, et quidem ad dósin admodum parvam, ut plurimum cum fructu exhibere soleo.

Inevitabile saepe in phthisi pedum oedema fumigationibus ex baccis Juniperi communis, aut aliis rebus aromaticis, porrecto simul interne remedio diuretico, verbi gratia, Aethere nitrico alcoholisato, sive decocto ex baccis Juniperi communis, radice Ononidis spinosae, Apii Petroselini, inprimis dum aeger multum in lectulo decumbit, nonnunquam tollitur aut saltem imminuitur.

Unguentum Althaeae pectori illinitum, dum haec pars dolore opprimente, late diffuso afficitur, fere semper plus minusve levaminis affert. Huic unguento aliquando pauxillum Camphorae addo, dummodo odor ejus aegrotantibus non adversetur, aut eos ad tussin irritet; qui effectus saepius ex sapone ammoniacali observantur. Dolor fixus, pungens in pectore, respirationem phthisici impediens, nisi symptoma supervenientis peripneumoniae sthenicae sit, usum vesicatorii postulat.

Electuarium Theriacae interdum in phthisi, ob somni defectum et ob alvi profluvium colliquativum in auxilium duco; quum experientia docere videatur, hoc medicamentum, primo intuitu licet absurdum, longe magnus Opio puro, ejusdem effectus malos agnoscere. Idem de pulvere Doveri notum est.

Phthisicis animam agentibus, liquore Carbonatis Ammoniae empyreumaticum, non sine aliqua interdum virium instauratione,

decocto radicis Orchidis masculae exhibere soleo. Aether sulphuricus, alias sub hac rerum positione indicatus, a phthisicis angina laborantibus difficulter deglutitur, ac fauces irritando simul et tussin auget.

Si in phthisi perfecte conclamata omnem ere curam in symptomatibus leniendis poam, longe aliter in recentiori malo agendum esse reor. Hic in indagatione naturae morbi, ac in remediis, illi adversis, detegendis, totus sum. Phthisin enim pulmonalem, ab initio saltem, saepe saepius symptoma potius alterius morbi, quam morbum prorium, rite animadvertente *Mortone**), sistere idetur. Exemplo sit phthisis ex scorbuto, ue venerea, scrophulis, et chlorosi propullans. Si medicus hic tempus unice in symtomatibus leniendis consumeret, atque primum morbi fontem negligeret, impossibile li foret, metam, ad quam alii, licet raro, inc inde tamen perveniunt, attingere.

Observatio 3. Juvenis tenerrima, albissimaque cute instructus, formosissimus, nnum vigesimum quartum numerabat, quum catarrhum, quem jam aliquoties perpessus at, de novo incideret. Baccho ac Veneri hilominus more consueto indulgens, itineumque incommodis continuo expositus, morim per sex circiter menses, licet sanguiem hinc inde rejecerit, sprevit. Die 8 Ja-

*) Phthisiologia.

nuarii 1806 pro phthisico in clinicum institutum suscipitur. Persona sceleti jam formam exhibuit. Febris hectica, nunc matutinis, nunc vespertinis horis, maximo cum frigore bihorium hinc inde perdurante, aegrum concutiente, incedebat; sequebatur magnus aestus, pedissequo sudore. Remedia superius enarrata ex parte et huic aegro propinata fuere. Ita vitam adhuc per mensem traxit. Secto cadavere die 11 Februarii, lobus sinister pulmonis superius cum pleura concretus in conspectum venit. Hoc ipso loco abscessus, duas circiter uncias puris continens, detectus fuit. Pulmonis sinistri substantia tuberculis, hinc inde suppuratis, repleta erat, excepta tamen ejus parte inferiore. Pulmo dexter superius ulcus, ultra quatuor uncias puris foetentis continens, inferius vero, minorem abscessum exhibuit. Vasa sanguinea hoc in abscessu callosa fuere. Tota pulmonis dextri substantia tuberculis maxima ex parte suppuratis, obsessa erat; atque sive dissecta, sive compressa undique pu fundebat. Bronchia fere undique, praecipu vero in parte dextra multum puris contine bant. Pericardium uncias quinque vel se seri, cum corde praeter modum parvo et flac cido, exhibuit.

Epicrisis. Formositatem inconsuetam tem pore primae juventutis, in utroque sexu, su picionem scrophulosae constitutionis mov re, jam dudum notum est. Hanc ipsam po ro constitutionem uberrimum fontem phth

seos pulmonalis sistere neminem latet, atque per historiam jam enarratam de novo confirmatur. Catarrhus neglectus nostro in aegro mortem properavit. Caeterum tota morbi illius historia nil memorabile exhibet, praeter frigoris in febre hectica raram admodum intensitatem atque protractionem, nec non ejus haud communem horis matutinis accessum. Nisi enim caetera symptomata tam clara morbi hectici naturam ostendissent, possibile fuisset, hanc affectionem cum febre intermittente quotidiana confundere.

Caput XIII.

Hepatitis.

Observatio. Femina trigesimum quintum annum numerans, decem prolium mater, a decem annis menstruis orbata, quamvis post hoc tempus ter partum ediderit. Die 18 Maii a frigore, subsequente calore, artuum et surarum dolore correpta est. Paulo post vomitus frequens, ructus continui, sitis inexplebilis, inquietudo, ac, sub vespertinis exacerbationibus, deliria accessere. Aegra antequam in hunc morbum incideret, pathematibus animi vexabatur, et contagio typhi regnantis in ipso nosocomio militari sese exposuerat. Nulla adhibita medela, octava morbi die ad nos delata fuit. Facies et oculi subflavi, genae vero profunde rubentes erant; lingua sicca, sitis magna, ructus frequentes, susurrus aurium, sub profundiori inspiratione tussis sicca, dolor in hypochondrio dextro ab attactu auctus, ad humerum dextrum extensus; decubitus in latus affectum difficilis, alvus aperta, calor cutis vix auctus, peticulae nullae, pulsus 116, licet debilis, attamen aliquando vibrans; paucas ante ho-

ras ter vomuerat biliosam materiam. Emittatur cruor (qui densa crusta obtegebatur) ad uncias sex; habeat decoctum ex radice Althaeae officinalis et syrupo ejusdem. Nona die morbi parum dormivit; ructus, vomitus et dolor hypochondrii dextri evanuerunt; alvus ter mota, urinae tinctae, pulsus 102. Adde medicinae semunciam Acetatis Ammoniae. Ad vesperas exacerbatio cum vaniloquiis observabatur. Decima dormivit, toto corpore sudavit, lingua humida, pulsus 84, elevatus, continuet in medicina. Ad vesperas de novo febricula. Undecima iterum sudavit, et perfecte convaluit. Seponatur medicina. Post quatuor dies sana clinicum institutum dereliquit.

Epicrisis. Nunquam medicus erroribus in diagnosi magis expositus est, quam tempore, quo morbus aliquis epidemice grassatur; tunc enim facile morbos sporadice obvenientes, qui cum epidemico similitudinem habent, ad hunc revocat. Nostro in casu facile fuisset errare, quum symptoma, typho epidemico proprium, dolor ssilicet surarum adfuerit, ac aegra contagio sese exposuerit; quae tamen ultima circumstantia nos ab initio latebat. Ex dolore hypochondrii, vomitu, tussi sicca, decubitu in latus dextrum impedito, et animi pathematibus praegressis, ad hepatitidem conclusi. Verum, febris indoles videbatur asthenica..... Sit! sed vibratio quaedam pulsuum licet debilium, sed labor genarum profundus, sed tussis ratio

ac demum occultum quid, quod verbis designare non possum, venae sectionem postulare videbantur. Contremuerunt commilitones, dum, sanata aegra, de periculo, in quod adhibitis excitantibus ea incurrisset, cogitarunt. Ego vero hanc occasionem de novo arripui, illis magis magisque, quam difficile sit artis medicae exercitium, patefaciendi.

Caput XIV.

Icterus.

Observatio 1. Femina triginta annorum a duobus mensibus psorophthalmia laborans, quam sequuta erat nyctalopia, cum ab animi pathematibus vexata fuerit et quosdam in diaeta errores commiserit, de oris amaritie, nausea, epigastrii dolore conqueri incepit. Accessit dolor hypochondrii dextri subsequente ictero, ob quem morbum die 19 Februarii clinicum adiit. Regio epigastrica tensa, faeces cinerei coloris singulis tribus aut quaternis diebus deponuntur; urina admodum flavet, febris nulla, nyctalopia perstat. Levia ab initio evacuantia et sic dicta resolventia, uti infusum radicis Rhei palmati, Sulphas Magnesiae, Acetas Potassae, radix Tritici repentis; dein vero amaricantia, praesertim folia Menyanthis trifoliatae, bilis Bovis Tauri domestici cum diaeta ex ovis, vegetabilibus, et hepate vitulino praescribebantur. Aegra sanitati restituta clinicum die 26 Martii dereliquit.

Epicrisis. Nullo in morbo neglecta alvi excretio curae magis obstat, quam in ictero. Interim ne quid nimis. Nostra enim in ae-

gra dum evacuantia, vehementius quam par erat, alvum moverent, plus detrimenti quam boni attulerunt. Debilitas enim major cum sudoribus magnam virium jacturam post se relinquentibus, sequebatur; quae mala sub usu amaricantium disparuere. Hepar vitulinum ad nyctalopiam dissipandam praesertim contulisse arbitror, quum Ticini ope hujus remedii aliquoties hoc mali genus sanatum vidissem. Sequens factum suspicionem attamen movere posset, hepar vitulinum nullam specificam virtutem contra nyctalopiam possidere, ac aliarum nutrientium rerum adinstar in hoc morbo prodesse. Quum scilicet sex abhinc circiter annis, orphanotropheum, quod Monachii est, visitassem; illius moderator mihi retulit, nyctalopiam nuper inter infantes hujusce instituti regnasse: quam feliciter ipse sanavit, quum cibis, qui antea omnino ex regno vegetabili petebantur, lardum addidisset.

Observatio 2. Vidua quadraginta octo annorum, quum quatuor abhinc annis pondus quoddam elevasset, illico vehementem dolorem ad regionem epigastrii persensit. Post hebdomadem icterus cum vomitu et alvi obstructione ortus est, qui post aliquot dies sponte evanuit. Ex eo tempore aegra saepius epigastrii dolore vexabatur. Mense Novembris 1805, de novo in icterum, qui mox iterum aufugit, incidit. Die 23 Januarii 1806, quum antea ab animi pathematibus agitata fuisset, tertia vice a pristino morbo cum febre correpta est. Tunc in clinico instituto auxilium quaerens, die 31 ejusdem mensis

ibi recepta fuit. Nullam duritiem aut tensionem in dextro hypochondrio sensu percipere licuit, sub profunda vero inspiratione dolor epigastrii oriebatur. Aegra, se nunquam calculos evacuasse, fassa est. Sumat decoctum radicis Cichorii Intybi cum melle acetato. Cessata post aliquot dies irritatione febrili, decocto simili Tartritem Potassae et Sodae (Sal polychrest. Seignette) adjecimus. Alvus hinc cum morbi levamine movebatur. Hoc facto sic ordinavimus: Rc. Olei resinae Pini laricis (Oleum Terebinthinae), Aetheris sulphurici āā. drachmam unam. D. S. Capiat bis de die guttas decem duplicando sensim hanc dosin. Rc. Radicis Tritici repentis, radicis Leontodontis Taraxaci āā drachmas tres. Coque c. s. q. aquae communis per quadrantem horae. Colaturae librae unius et semis adde mellis acetati unciam unam. Detur pro potu. Diaeta ex oleribus et vitellis ovorum. Ita aegra convaluit, ac die 17 Februarii clinico sana, uti videbatur, valedixit.

Epicrisis. Speciem hujus icteri exacte determinare, nobis impossibile fuit. Ejus crebrior reditus sub forma paroxysmorum, vomitu stipatorum, suspicionem de calculis vel felleis vel hepaticis movere debuit, quae tamen suspicio, tum ob originem morbi post nisum in pondere quondam elevando (nisi hoc causa tantum excitans fuerit) tum ob defectum calculorum evacuatorum non parum infringebatur. Nihilominus eam, utpote magis probabilem, sum secutus. Facile interim recidivum morbum fieri posse, monui. Post

aliquot menses, aegra morbo acuto, cynanche scilicet, defuncta esse narrabatur.

Observatio 3. Femina sexaginta annorum, octodecim prolium mater, trichomati ulceribusque chronicis subjecta, die 13. Octobris 1805 pro clinico instituto electa fuit. Morbus, quo detinebatur, ante quasdam hebdomadas cum dolore in regione epigastrica et ad brachium dextrum, nausea, alvi obstructione, inceperat. Sequebatur icterus. Aegra emaciata, tussis sicca, hypochondrium dextrum variis in locis durum, ac ad limbum inferiorem hepatis tumore, non tamen fluctuante, notatum; alvus obstructa, urina flava, oedema pedum nullum, febris. Plurima medicamenta, praesertim vero extractum Conii maculati, sapo venetus, gummi ammoniacum, amaricantia, immo et unguentum oxydi Hydrargyri cinereum spatio trium mensium, quo aegra apud nos decubuit, sine magno levamine porrecta fuere; quare aegra die 25 Januarii 1806 clinicum dereliquit. Post tres circiter menses mortua est. Secto cadavere hepar sanum, cystis vero fellea magno ulcere lacerata detegebatur.

Epicrisis. Morbum praesentem pro ictero ex scirrho hepatis, non tamen sine suspicione latentis hoc ipso in viscere ulceris, declaravi. Sectio cadaveris satis docet, hanc diagnosin erroneam fuisse. Attamen in hypochondrio dextro durities manifesta, ab attactu magis dolens, tribus in locis sensu percipiebatur.

Caput XV.

Hydrops.

Duos tantum hydropicos in clinicum institutum suscipere licuit; quorum unus *ascite*, alter *anasarca* et *hydrothorace* laborabat.

Observatio 1. Vir quadraginta quinque annorum, die 29 Novembris 1805, ad clinicum deportatus est, qui jam a plurimis annis, animi pathematibus et haemorrhoidibus, nec non catarrhis cum sanguinis sputo incedentibus, vexatus, jam octo abhinc mensibus ad lumbos dextri lateris, magno in ea regione per intervalla recrudescente dolore, percutiebatur. Duobus abhinc mensibus duritiem in regione epigastrica cum tumore fluctuante totius abdominis percepit. Corpus emaciatum, oculi profunde in orbitis positi, vox rauca, tussisque in conspectum venerunt. Aeger praeterea de dolore pectoris et epigastrii conquerebatur. Examinata hac regione, durities sese per totum fere hypochondrium dextrum extendens, ab attactu dolens, atque, percusso abdomine, fluctuatio percipiebantur. Urina sat copiosa, tincta, sine sedimento; pulsus contractus, 108 ictus minuto primo absolvens. Infusum baccarum Juniperi communis, Acetatem Potassae, oxy-

mel Scillae marinae, et unguentum oxydi Hydragyri cinereum hepatis regioni illinitum tanto cum fructu adhibuimus, ut hydrops ascites brevi temporis spatio, sub magno urinarum profluvio, fere omnino profligatus fuerit. Ast pulsuum frequentia simul cum tussi, superveniente sanguinis sputo, augebantur. Sepositio tunc unguento hydrargyri, ad tincturam Digitalis purpureae cum decocto Orchidis masculae, et similia confugimus. Symptomata ad pectus sub hac methodo remiserunt, sed hydrops ascites nova vi recruduit et ad enorme volumen ascendit. Acidum nitricum praescriptum fuit, et tandem omnia fere, quotquot sunt, diuretica, et resolventia incassum in auxilium ducebantur; nam aeger, postquam ultra quatuor menses apud nos manserat, die 1 Aprilis mortuus est. Secto cadavere, ultra triginta libras aquae in abdominis cavo invenimus. Hepar volumine imminutum, tuberculis obsessum, caeterum haud scirrhosum erat. Glandulae vero mesenterii non solum induratae, sed plurimae ex illis osseae, conspiciebantur. Cavitas sinistra pectoris fere in totum sero cruento repleta, et pleura ubique inflammata. Pulmo tubercula tum dura, tum suppurata, offerebat. Dextra cavitas pectoris sero vacua; pulmo, excepta flacciditate, sanus.

Epicrisis. Ascites hujus originem mox in hepate, ipsum vero hepatis vitium prius in obstructione, postea autem in scirrho quaerebam. Me utroque in casu errasse, sectio cadaveris docet. Longe rectius de pulmonis

statu judicavi, nam tuberculorum praesentiam bi praedixi. Facile tamen fuisset et in hepate simile vitium suspicari. Quum sanguinis sputum et pulsuum status febrilis usum hydrargyri vetaverint; quid acidum nitricum praestiturum sit, experiri volui. Observationes enim nuperrimae in India factae, docere videntur, acidum hoc, hydrargyri ad instar, in iecur agere, et hanc ob causam etiam in hepatitide prodesse. Porro in acido nitrico virtutem diureticam suspicari licuit; quum remedium istud, dum venereis porrigitur, uriuae fluxum fere semper et evidentissimo modo augeat. Ac revera medicamentum, de quo sermo est, nostro aegro haud male conduxit, nam lotii quantitas increverat. Quum interim tussis inde exasperaretur, illud seponere coactus fui.

Observatio 2. Caementarius triginta annorum, potator strenuus, catarrhis nec non sanguinis sputo interdum obnoxius, mense Aprilis 1806, cum, aestuante corpore, aquam frigidam ingurgitasset, illico respirandi difficultatem, et pondus ad pectus persensit, cui paulo post, imminuta scilicet urinarum secretione, anasarca sese adsociavit. Die 2 Maii ejusdem anni, in clinicum nostrum susceptus est aeger. Tussis erat vehemens, sicca; et decubitus in latus dextrum omnino denegatus. Thoracis cavum hoc in latere digito, dolii instar, percussum, vix, et non nisi obscure, resonabat. Contrarium in opposito latere observabatur. Febris nulla, urina pauca, profunde tincta, atque copioso sedimento

lateritio instructa. Curam cum pulveribus ex Oxy-tartrite et Nitrate Potassae cum foliis Digitalis purpureae inchoavimus. Alvus abhinc per quatuor dies, decies et ultra spatio nychthemeri, magno cum levamine mota est, ita nempe ut anasarca et pectoris incommoda multum remiserint. Concessa tunc aliqua quiete, ad decoctum Polygalae amarae, cui postea tinctura Digitalis purpureae addita fuit, pervenimus; sub quorum remediorum usu aeger ab omnibus incommodis ita liberatus est, ut die 20 Maii sanus, clinicum derelinquere posset. Attamen urina nunquam illi sani hominis similis fuit, licet sat copiose, sedimenti expers, evacuaretur.

Epicrisis. Anasarca et hydrothoracem hoc in casu rheumaticae indolis fuisse, probabile videtur. Diarrhoea, licet profusa, evidenter profuit, nec vires deprimebat. Magna tamen earum jactura serius, a tinctura Digitalis purpureae, spatio nychthemeri ad drachmas duas porrectae, observabatur. Aeger nempe, praeter dolorem ad regionem supraorbitalem atque visus obnubilationem, de magna cardialgia et debilitate conquestus est. Pulsus lentus et irregularis atque minimus erat. Aether sulphuricus, tinctura Castorei rossici, symptomata haec sedarunt. Quum urinarum secretio ad statum sanum nondum redierit, de perfecta sanatione hujus aegri, quamvis sani hominis instar clinicum sua sponte dereliquerit, vehementer dubito.

Caput XIX.

Diarrhoea.

Observatio 1. Agricola quadraginta annorum ex terrore a lupis illi in sylva obviam venientibus et forsan ex frigore simul suscepto in diarrhoeam incidit, contra quam tertia a morbi initio, 30 Januarii die, in clinico auxilium petiit. Pulverem radicis Cephaelidis Ipecacuanhae cum Opio, decoctum Quassiae Simarubae, Columbo obscurae cum et sine tinctura Opii composita cum fructu quidem, sed non plane successu, adhibuimus. Tandem sepositis omnibus remediis sponte convaluit, exiitque die 18 Februarii.

Secundus casus, qui nil memorabile exhibet, in puellula locum habuit.

Caput XVII.

Taenia lata.

Observatio. Puella, vigesimum tertium a nativitate annum numerans, valetudinaria, die 17 Maii 1806 clinicum institutum sequentibus cum symptomatibus adiit. Conquerebatur nempe de concussionibus convulsivis totius corporis, de aphonia, de vomitu, singultu, nausea, cardialgia, salivatione, praesertim matutinis horis recurrentibus. Praescriptum fuit: Rc. Foliorum Cassiae Sennae unciam semis, infunde c. s. q. aquae fontis fervidae per quadrantem horae. Colaturae unciarum quatuor adde, ope mucilaginis gummi Mimosae niloticae, unciam unam olei expressi Ricini communis. Capiat binis vicibus mane jejuno ventriculo. Ad vesperas ejusdem diei aegra partem Taeniae latae longitudinis octo ulnarum, in qua caput invenire non potuimus, evacuavit. Magnum morbi levamen abhinc observatum est; quare concessa aliqua quiete haec ipsa methodus, cui et pulvis Polypodii Filicis maris cum gummi-resina Campogiae guttae, adjecimus, iterum, ast incassum, adhibita fuit. Quum rationes domesticae aegram domum vocarent; ea non perfecte sana die 6 Junii clinicum dereliquit.

Caput XVIII.

Peritonitis.

Historiae duorum aegrorum peritonitide laborantium, nil memorabile continent; unde sufficiat eas in genere commemorasse. Unus ex iis, a lapsu in lumbos, symptomata inflammationis, vel saltem vehementissimae contusionis musculorum iliaci interni et psoae lateris dextri exhibuit. Quum signa venaesectionem alias expostulantia minime urgerent, saponem ammoniacalem tantummodo locis dolentibus levissima manu illiniri, atque iis fomentationes calidas imponi jussimus. Interne vero, ob summos dolores, et noctes insomnes Opii granulum porrigebatur. Aeger de die in diem melius valuit, ac post tres hebdomadas sanus clinicum dereliquit. Casus secundus in puerpera locum obtinuit, quae quarta post abortum, tertio graviditatis mense perpessum, die probabiliter, cum refrigerio adfecta esset, a peritonitide, cum vomitu, capitisque dolore et lochiorum suppressione incedente, correpta est. Die morbi sexta, nona vero Martii 1806, ad nos delata febrem puerperalem, non tamen intensiorem, exhibuit.

Praeter symptomata enumerata, calor cutis siccus, sitis magna, os amarum, dolor in regione umbilici ab attactu auctus, cum pulsu non admodum frequente et inconstante, observabantur. Habito inprimis respectu ad constitutionem annuam, methodo leniter diapnoica tanta fecilitate usi sumus, ut aegra post sudorem, octava morbi die comparentem, sanitati omnino restituta fuerit.

Historiam lumbaginis traumaticae, etiam in clinico nostro pertractatae, utpote nequaquam memorabilem, omitto.

Caput XIX.

Metritis.

Observatio. Meretrix, viginti sex annorum, tempore menstruorum non solum magnam copiam vini ingurgitavit, sed etiam quinque juvenum amplexibus sese praedam dedit. Mox haemorrhagia uteri in conspectum venit, quam abdominis cruciatus, anxietas, vomitus, cephalaea, et febris, secuta sunt. Ita tempus domi, sine ulla medela, per quatuordecim dies trivit. Die 16 Januarii 1806 ad clinicum delata, praeter symptomata enarrata, minori licet gradu continuantia, sequentia obtulit: abdomen non tumidum, sed levissimum attactum, immo et motum corporis respuens, urinarum evacuationem dolorificam, alvum liberam, borborygmos, dolorem ad regionem epigastricam et ad scapulam. Os uteri clausum, non calidum, sed ab attactu digiti explorantis dolens, pulsus frequens, contractus atque debilis. Rc. Mucilaginis gummi Mimosae niloticae, olei nucleorum Amygdali communis āā unciam unam. Triturando affunde aquae florum Matricariae Chamomillae uncias octo. Capiat omni bihorio unciam unam. Illiniatur abdomen cum Sapone ammoniacali, ac fomentationes calidae illi imponantur. Hac

sub methodo morbus spatio duorum dierum valdopere remisit. Ructus vero nidorosi aegram continuo molestabant. Alvus leniter ope infusionis radicis Rhei palmati per spatium duorum dierum movebatur; quo facto, symptomata multum remisere ac febris evanuit. Solummodo enim anorexia et borborygmi remanserunt. Infusum foliorum Menyanthis trifoliatae et herbae Menthae crispae porrigebatur. Sana, die 30 Januarii clinicum dereliquit.

Epicrisis. Ex vini abusu et nimio coitu vigente catameniorum periodo, jam aliquoties metritidem in nosocomio Vindobonensi observavi. Idem ex balneo frigido hoc tempore consulto adhibito, ut scilicet coitus eo liberius cum amasio exerceri posset, lethali cum eventu accidisse, alter ejusdem nosodochii medicus primarius vidit. Nostra in aegra metritidem leviorem extitisse, ex eo concluderem, quod morbus sine ulla medela ad decimum quartum diem protractus, et deinde sub leviori methodo cito devictus fuerit. Gastrici simul quid subfuisse, tum ex vivendi aegrae ratione, tum ex symptomatibus, tumque ex levamine ab alvina purgatione experto crederem.

Caput XX.

Conceptio in Ovario dextro.

Femina nobilis, triginta annorum, cum faeces et urinas per longum tempus retinere coacta fuerit, a forti dolore in regione hypogastrica, sub alvi et urinarum depositione aucto, correpta est; qui tamen dolor post aliquot dies evanuit. Ast vix elapso mense, tumor in ea ipsa regione oriebatur, qui sensim sensimque ita increvit, ut spatio sex mensium, scilicet Junii mense 1805, totum fere abdomen repleret. Eodem tempore nausea, doloreque abdominis, et menstruorum retentione laborare incepit. Sic saltem aegra die 18 Januarii 1806, qua in clinicum suscepta est, retulit. Habitus illius cachecticus, genae vero profunde rubentes erant. Totum abdomen, uti graviditatis tempore, tumebat; si excipiam tamen regionem epigastricam, ubi spatium, quinque circiter digitorum, vacuum tangebatur. Nullomodo motus foetus percipere licuit. Fluctuatio obscura valde erat; ab attactu undique abdomen dolorem magnum experiebatur. Matrix a clarissimo Chirurgiae Professore *Briotet* uteri feminae non gravidae adinstar, inventa est. Alius vero peritus chirurgus eam, uti quinto graviditatis mense, con-

stitutam esse retulit. Fluor albus hinc inde apparebat. Alvi et urinae excretiones omnimodo liberae erant. Oedema pedum nullum, epistaxis frequens, pulsus contractus, sano frequentior; ceterum nulla symptomata febris hecticae. Lenia diurectica, resolventia plura, extractum Conii maculati, per tres circiter menses sine levamine porrigebantur. Tandem inopinate dolores in abdomine quammaxime increvere, superveniente vomitu ac diarrhoea purulenta; simul parotis dextra, cum maximo aegrae dolore, saxeum tumorem contraxerat. Mucilaginosa, oleosa ac opiata, ad symptomata lenienda, in usum ducebantur. Die 3 Maii aegra mortua est. Aperto abdomine immensa copia materiae puriformis effluxit. Ea evacuata ovarium dextrum, ultra capitis infantilis magnitudinem referens, compariuit. Vix, quum sectio illius institueretur, magna similis materiei purulentae, spissioris portio effluxit. In medio ovarii corpus, pugni magnitudine, ex materia (uti chemica analysis, a d. Professore Andrea *Sniadecki* instituta, docuit) adipocerosa et crinibus compositum, in conspectum venit. Separando ab hac materia crines, integrum os petrosum et rudera maxillae inferioris, inveniebantur. Crines vero ipsi, longitudinem decem scilicet pollicum habebant atque adhuc in nostro museo pathologico conservantur. Ovarium sinistrum tuberculosum uterus et vesica urinaria nil morbosi ostenderunt. Intestina tenuia cum omento concreta, crassa vero inflammata ac fere degenerata; hepar tuberculis obtectum. Vesica felle bile turgida. Lien volumine auctus. Perito

neum plurimis in locis inflammatum. Glandulae mesaraicae durae.

Epicrisis. Per totum decursum hujus morbi, me diagnosin nunquam instituisse, fateor. Prima suspicio quidem fuit, ejus sedem unum ex ovariis esse posse; ast aegra sancte affirmabat, tumorem in medio abdomine incepisse, et sensim sensimque aequaliter per abdomen diffusum fuisse. Initium morbi, mentruorum suppressio, fluor albus, tumoris abdominalis figura, ac tandem chirurgi habilis exploratio, de vitio uteri, inprimis hydrope purulento, testari videbantur. Fluctuatio verò licet obscura abdominis, ac relatio a cl. Professore *Briotet* facta, potius de latente hydrope ascite saccato dubium movebant. Sub hac rerum positione incerta, cujus origo inprimis in aegra non sincere referente quaerenda videtur, nullam methodum activam proponere volui. Gaudeo, me ita egisse. In nosocomio Bicêtrensi enim morbus praesenti satis similis, pro hydrope ovarii paracentesin indicante, declaratus fuit. Vix instituta sectione, materia puriformis et crines sese prodiderunt. Aegra spatio triginta sex horarum, accedentibus gangraenae symptomatibus, mortua est. Secto cadavere in ovario sinistro plurimi crines et materia sebacea a cl. Josepho *Jacquin* ro adipocera declarata, sine aliis foetus rudimentis, inveniebantur.

Caput XXI.

Puerperium.

Quamvis varias puerperas diversis morbis affectas in clinicum susceperimus; attamen et decursum consuetum puerperii tyronibus ostendere volui. Hac ex causa feminam triginta duorum annorum, quatuor prolium matrem, post partum admodum difficilem, qui infante mortuo unculis extracto absolutus est, ad institutum nostrum deportari jussi. Quum partus ab ignorantissimis feminis prius in auxilium vocatis (quae ut infanti meliorem situm pararent, puerperam pedibus suspenderunt, ac totum ejus corpus violenter concusserunt) per tres fere dies protractus fuerit; puerpera, licet non multum cruoris amiserit, admodum tamen debilis die 14 Maii ad nos delata est. Ast sub debita cura, adhibito versus finem puerperii decocto corticis Cinchonae officinalis, omnino sana die 3 Junii ad suos femina rediit.

Caput XXII.

Hysteria.

Observatio 1. Femina quadraginta et ultra annos numerans, a quatuor jam mensibus catameniis orbata, alcohole abutens, ceterum sana mense Martii 1805 quum vento frigido sese incaute exposuisset; illico a motu convulsivo musculorum dextri lateris faciei correpta est. Hemicrania, ac convulsiones, quibus caput undique jactabatur, cum oculi dextri contortione, auris lateris affecti susurru, loquelae suppressione, ac suffocationis sensu, supervenere. Hic rerum status per horam circiter duravit, atque brevi totius corporis tremore, pertigine et sudore terminatus est. Rediit vero paroxysmus sub eadem forma quandoque bis, ter in mense, et ultimis temporibus saepe quaque die, atque eo fortius et frequentius, quo magis aegra alcohole abutebatur. Die 24 Octobris in clinicum receptae extractum Hyoscyami nigri, cum amaricantibus, praescribebatur. Paroxysmi semel bisve in die, pauca tamen horae momenta durantes, cum pulsu parvo, contracto et urina pallida per dimidiam hebdomadem compauere. Aquam florum Matricariae Chamo-

millae cum tinctura Castorei rossici exhibuibuimus apponendo simul nuchae vesicatorium. Morbus per spatium nychthemeri non observabatur, ac postea sub nova forma comparuit. Quo enim tempore motus spasmodici sese in facie prius manifestabant, tunc vehemens cordis palpitatio, dimidiam horam perdurans, se prodidit. Continuabatur extractum Hyoscyami nigri, addita radice Valerianae officinalis et foliis herbae Digitalis purpureae. Quum aegra de magna debilitate conquereretur, decoctum ex cortice Salicis fragilis simul porrectum fuit. Palpitatio cordis rarius comparere, et hinc inde cum motu convulsivo palpebrae inferioris dextri lateris alternare incepit. Die vero 13 Novembris palpitatio cordis non solum nova vi, sed etiam tremore totius corporis stipata, recruduit. Gummi-resina Ferulae Assae foetidae incassum in auxilium ducebatur, quare postea ad Aetherem sulphuricum cum liquore Carbonatis Ammoniae empyreumatico confugimus. Tunc morbus remisit. Attamen, quum in longum traheretur, pulverem radicis Valerianae officinalis tanto cum fructu porreximus, ut morbus de die in diem ita imminueretur, ut aegra 1 Decembris nullum prorsus paroxysmum perpessa fuerit. Addito nunc cortice Cinchonae officinalis pristino remedio, morbus omnino devictus est. Post tres hebdomadas femina sanitati restituta dimittebatur.

Epicrisis. Morbum enarratum ad affectiones hystericas pertinere, nemo inficias ibit. Eandem causam, quae prius motus convulsivos

in musculis faciei excitaverat, postea cor aggressum esse, verisimile est. Hoc ultimo in casu, Digitalem purpuream aliis remediis adjeci, quia ejus actionem in cor non ambiguam censeo. Palpitationem enim chronicam cordis, quae aneurysmatis tumorem excitaverat, in nosodochio vindobonensi feliciter ope hujus remedii sanavi. Aegra, quae hoc morbo laboraverat, simul Acido sulphurico alcoholisato (Elixir. acid. Halleri) usa est. Praesente in casu quibusnam medicamentis sanatio tribuenda sit, per se patet.

Observatio 2. Femina triginta annorum, rite menstruata, mater septem filiorum, quorum ultimum immaturum ante tres menses in lucem ediderat praegressis animi pathematibus, die 11 Novembris 1805 a capitis dolore, vertigine, contractione musculorum faciei, alalia, palpitatione cordis, et torpore extremitatum correpta est; quae omnia post quindecim circiter horae momenta evanuerunt, sed ex eo tempore saepe rediere. Die 17 Novembris clinicum institutum petiit. Praeter enarrata, ructus nidorosos, nauseam, oris amarorem accusabat. Lingua albo muco obtecta, alvus obstructa, urina pauca et tincta erat. Morbus pro hysteria graviori declaratus est. Alvus, ope solutionis Sulphatis Magnesiae in aqua Menthae crispae, non sine difficultate mota fuit; quo facto lingua purior evasit, profligatis oris amaritie ac ructibus. Urina nil morbosi amplius ostendebat. Paroxysmus hucusque in clinico instituto non comparuerat. Aegra enim die 21 Novembris tantum

palpitationem cordis pauca horae momenta perdurantem passa est. Urina tunc aquosa reddebatur. Pulsus hucusque normalis, in carpo sinistro debilior quam in dextro. Aqua florum Matricariae Chamomillae cum tinctura Castorei rossici porrigebatur. Post duos autem dies somnus inquietus, animusque a variis imaginibus perturbatus. Extremitates praeter modum frigebant, et aegra de sensatione ingrata ad ventriculum conquerebatur. Ructus rediere. Hora prima pomeridiana inopinate a lipothymia correpta est, quae noctu iterum comparuit. Ad Aetherem tunc sulphuricum, cum liquore Carbonatis Ammoniae empyreumatico, dein ad amaricantia confugimus. Lipothymiae per aliquot dies siluerunt; pulsus vero irritatus. Tandem die 28 ejusdem mensis, nova ac terribilior lipothymia, circiter decem horae momenta perdurans, accessit. Respiratio a plurimis diebus difficilior, atque cordis palpitatio continua. Vrinae fluxus evidenter imminutus, ipsa urina turbida. Rc. Decocti ligni Quassiae amarae ex tribus drachmis parati uncias septem. Aetheris nitrici alcoholisati drachmam semis. Tincturae herbae Digitalis purpureae scrupulum unum. Aquae Lauri Cinnamomi unciam unam. M. Capiat omni hora unciam semis. Quum haec non profuissent, praescripsimus: Rc. Extracti Squillae maritimae grana duo. Moschi grana quatuor. Corticis Lauri Cinnamomi grana decem. Sacchari albi drachmam unam. M. fiat pulvis, divide in partes quatuor aequales. Capiat omni trihorio pulverem. Pro potu: Rc. Radicis Ononidis spinosae un-

ciam semis. Coque in s. q. aquae fontis per quadrantem horae, sub finem coctionis adde seminum Anethi Foeniculi drachmas duas. Stent in digestione in vase clauso, ac frigida colentur ad libram unam et semis. Urina copiose, sub hujus medicinae usu, movebatur; et incommoda enarrata per sex dies fere in totum evanuerant. Sexta autem Decembris praevia cordis palpitatione, en iterum lipothymiam, magnam virium prostrationem relinquentem. Decoctum corticis Cinchonae officinalis propinatum est. Lipothymiae nunc cessarunt, sed frigus magnum periodice, cum respirandi difficultate, accedebat. Extractum Hyoscyami nigri, oxydum Zinci purum, et aquam Pruni Lauro-Cerasi sine fructu usurpavimus; quamobrem sic praescriptum fuit: Rc. Camphorae mucilagine gummi Mimosae niloticae subactae grana duodecim. Aquae Menthae crispae uncias sex. Syrupi corticum Citri Aurantii unciam unam. Capiat omni hora unciam semis. Vesicans ad pectus. Per bene aegra abhinc valuit; aucta vero Camphora ad scrupulum unum, praegresso delirio, sub quo aufugere tentavit, consueta lipothymia de novo in conspectum venit. In hoc ipso remedio, minori tamen dosi porrecto, continuandum esse, credidimus. Morbus revera in melius mutabatur, inprimis, quum pustula, materia puriformi repleta, ad apicem nasi comparuerit. Die 21 Decembris praeter debilitatem nil accusabat. Porrecto decocto corticis Cinchonae officinalis, aegra versus finem ejusdem mensis clinicum sana dereliquit. Et nunc bona va-

letudine, si excipias parva hysterica incommoda, fruitur.

Epicrisis. Symptomata gastrica, quae morbum concomitabantur, ea, quae leniter alvum movent, postulare videbantur, ac revera remedium hujusmodi non sine fructu adhibitum est, licet symptomata gastrica, ex parte saltem, iterum in conspectum venerint. Sulphatem Magnesiae aqua quadam aromatica solutum inter omnia purgantia, si forsan radicem Rhei palmati excipiamus, hystericis praeprimis conducere, experientia edoctus sum. Quum remedia, quae anti-hysterica dici solent, symptomata hujus morbi non imminuerent, dubium, ne hydrothorax lateret, in mentem venit. Hunc morbum cum hysteria aliquando confundi posse, ex propriis erroribus memor sum. Urinae conditio, quae scilicet in hysteria copiosa, pallida; in hydrothorace vero pauca et turbida esse solet, hic signum diagnosticum sat certum videtur. Interim nec complicationem horum morborum impossibilem esse crederem. Spasmorum in secretionem urinarum imperium omnibus notum est. Si lotii excretio ut plurimum abhinc augeatur, hoc non impedit, quin etiam per hanc ipsam causam imminui possit. Ast si hoc fuerit, nonne ortus hydropis facillime posset explicari? Virtus non ambigua opii in quibusdam hydropis speciebus, atque tandem ipsius Digitalis purpureae, utpote remedii, quod vehementer in nervos agit, praestantia, non solum connubium morborum spasmodicorum cum hydrope, sed ipsam hydropis interdum

naturam spasmodicam verisimilem reddunt. Tale connubium in nostra locum obtinuisse, effectus Moschi cum Squilla et radice Ononidis exhibere videntur. Camphoram interim primum morbi fontem exsiccasse, observatio ipsa docet. Fateor tamen dosin hujus remedii inconsulto ad scrupulum auctam fuisse. An pustula, super apicem nasi orta, critica fuerit, nec affirmare, nec negare audeo. Hoc autem certum, ac diuturna experientia cum aliis comprobatum habeo, hystericas et hypochondriacos saepe maximos cruciatus pati, qui non prius evanescere solent, quam eruptio quaedam ad cutem contigerit. (Psydracia hystericarum, sive hypochondriacorum.)

Caput XXIII.

Epilepsia.

Puella novem annorum sine nota causa ante duos annos in Epilepsiam incidit, cujus paroxysmi bis, terve de mense rediere. Die 23 Septembris 1805 in clinicum suscepta fuit. Hic spatio novem mensium, validiora remedia, tum anthelminthica, tum sic dicta antispasmodica, excitantia, demulcentia, aliaque specifica incassum assumpsit; quare initio Junii 1806, habita spe, quod periodus futurae pubertatis morbum forsan jugulare possit, dimissa fuit.

Caput XXIV.

Rheumatismus.

Unus aegrorum rheumatismo *acuto*, caeteri vero *chronico* laborarunt. Vix determinare audeo, utrum rheumatismus acutus modificatio tantum sit febris illius, quam rheumaticam vocavi, an vero morbum sui generis constituat. Hoc ultimum potius crederem, considerando, rheumatismum acutum per totum tempus, quo febres rheumaticae epidemice grassabantur, mihi non obvenisse; obvenisse autem, licet sporadice, mense Maii, ubi febres illae omnino cessaverant.

Aeger noster rheumatismo acuto sat forti laborabat. Febris vehemens cum pulsu pleno vibrante, ac tumores valde dolentes et inflammati vicissim, tum ad carporum, tum ad pedum articulationes, nec non ad scapulas, ad inguina observabantur. Venaesectio ad uncias septem, emeticum, dein vero Nitras Potassae a drachma semis usque ad drachmas tres spatio nychthemeri, patientem quindecim dierum spatio sanitati restituere. Urina copiosa et sudor crisin constituisse videntur. Usque

ad hujus ultimae evacuationis apparitionem, aeger leviter obtectus, ac in genere antiphlogistice pertractatus fuit. Quamvis enim non arbitrer, quemvis rheumatismum acutum constanter indolis sthenicae esse, attamen non dubito in genere methodum antiphlogisticam saepe melius, quam alia quaelibet, indicari. In longum admodum protrahebatur morbus, dum illum alias cum Acetate Ammoniae aut cum pulvere radicis Cephaelidis Ipecacuanhae cum Opio pertractavi. Inprimis a balneis tepidis damna graviora expertus sum. Quacunque interim methodo utamur, et aegroto et medico hoc in morbo patientia opus esse, non reticendum est. Venaesectionem semel aut bis hic, sicuti in aliis inflammationibus, saepe saepius requiri, feliciori experientia edoctus, persuasus sum. Mirabuntur nonnulli me emeticum praescripsisse; cur id fecerim, patefaciam. Dum tribus abhinc annis Berolini essem, expertissimus mihique amicus illius urbis medicus, clarissimus Doctor *Heym*, cui multa praecepta medico-practica, eaque utilissima debeo, emetica repetita in curatione rheumatismi acuti iterum iterumque commendavit. Consilio hoc jam aliquoties non sine fructu usus, et praesente in aegro periculum instituere volui. Ast Tartris Potassae et Antimonii nequaquam vomitum, sed diarrhoeam excitavit. Quum tandem aeger multum a nausea passus esset, potius ad Nitratem Potassae confugi, quod remedium diu continuatum, omnibus aliis, in rheumatismo acuto palmam praeripere, per diuturnam experientiam sum edoctus.

Inter rheumaticos a nobis pertractatos, duae sequentes observationes adduci merentur.

Observatio 1. Famulus qui dum, quadragesimum primum annum a nativitate numerans, mense Augusti 1803 noctu iter faciens refrixit, ac extemplo a lumborum dolore, qui sensim sensimque ad totam spinam vertebralem sese propagavit, correptus est. Die 5 Octobris ejusdem anni aegrum in clinicum suscepimus, ubi de dolore jam descripto ad brachium, praesertim sub motu et nocte aucto, conquerebatur. Habitus aegri sanus, pulsus vero paulisper irritatus apparuit. Nullum vitium syphiliticum, sive aliud, nisi rheumaticum, detegere licuit. Unguentum Althaeae officinalis cum Camphora spinae dorsali illinitum, deinde vesicantia ibi apposita, interne vero primum pilulae ex extracto amaricante et Aconiti Napelli, nec non oxydo antimonii sulphurato hydrogenato aurantiaco, dein vero pulveres radicis Cephaelidis Ipecacuanhae cum Opio, porrecto simul decocto ligni Guajaci officinalis, spatio quinque hebdomadum, sub continuis sudoribus, morbo finem imposuere.

Epicrisis. Priusquam hunc morbum pro rheumatismo legitimo declarare ausus fuerim, tyronibus difficultates omnes, quae diagnosin similibus in casibus premere solent, exposui. Nimis enim leviter vulgus medicorum morbos pro rheumaticis declarare solet, quo

fit, ut innumeri errores committantur. Quamvis etenim, quid rheuma sit, ignoremus, hoc tamen certum est, rheumatismum morbum proprium a vitiis organicis, nervosis, verminosis, aliisque valdopere diversum sistere. Ast, plurima exempla mihi nota sunt, ubi dolores artuum, qui a luxationibus, ab aneurysmatibus, ab angina (angore) pectoris, a carie vertebrarum, a vitio cancroso, scorbutico, scrophuloso, syphilitico, a nimia nervorum sensibilitate, a vermibus, saburris etc. producebantur, pro rheumaticis declarati fuere; quae omnia pro argumento futurae cujusdam dissertationis, *de larvis morborum rheumaticis*, elegi.

Observatio 2. Femina triginta sex annos nata, cum refrixisset, lumborum dolores atroces, qui sese ad extremitates inferiores, quibus aegra quasi paralytica instare nequiebat, extendebant, quin urinae excretio perturbaretur, experta est. Partes dolentes simul oedematose tumebant. Die 9 Octobris, octava morbi, in clinicum suscepta fuit. Febris nulla, magna vero debilitas, observabantur. Vesicans ad lumbos, extractum Aconiti Napelli, resina Guajaci officinalis, et flores Arnicae montanae, feminam sanitati restituerunt. Die 27 ejusdem mensis nosocomium dereliquit.

Epicrisis. Eo magis de completa paralysi hoc in casu timebam, quum eodem tempore simile exemplum in duce quodam mi

litum, a vera paralysi extremitatum inferiorum, nec non intestinorum, correpto, observaverim. Alvus ita tarda erat, ut vix a fortioribus drasticis paulisper moveri posset. Usum Muriatis Hydrargyri, extracti Aconiti Napelli, simulque applicationem fonticulorum ad spinam, ubi morbus inceperat, et si haec non juvarent, balnea sulphurica, nescio quonam cum exitu, consului.

Caput XXV.

Lues venerea.

Quum pauci, quos suscepimus, venerei diu admodum lectos occupaverint, nonnisi quinque lue detentos aegros admittere licuit.

Observatio 1. Germanus viginti octo annorum, mense Aprilis 1805, post impurum concubitum ulcus venereum ad praeputium acquisivit, quod sub usu remediorum externorum, evanuit. Idem ulcus post duos menses, aegro abutente spiritu vini, quin novum contagium locum obtinuerit, adapertum est. Oxydum hydrargyri nigrum (Mercurius solubilis Hahnemanni) interne sumptum, illud cito sanavit. Nihilominus paulo post dolores osteocopi ac ulcera fauces et narium orificia obsidentia, atque deinde condylomata ad anum, comparuerunt. Die 24 Septembris aeger clinicum adiit. Quum nulla contraindicatio usui Muriatis superoxygenati hydrargyri (Mercurius sublimatus corrosivus) obstaret, hoc remedium cum Opio et extracto Gratiolae officinalis porrectum est. Pro potu decoctum radicis Arctii Lappae (Bardana) et infusum herbae Salviae officinalis cum

melle pro gargarismate inserviebat. Die 20 Octobris, postquam aeger sine ullo incommodo grana duodecim Muriatis superoxygenati Hydrargyri cum granis viginti quatuor Opii et drachma una extracti Gratiolae officinalis assumpserit, atque dolores osteocopi saepe in totum remiserint, nec non ulcera faucium nariumque longe puriora reddita essent, sepositis pristinis remediis ad unguentum oxydi Hydrargyri cinerei (Unguentum neapolitanum) ad drachmam unam quaque die illiniendum pervenimus. Decoctum Daphnes Mezerei pro potu exhibebatur. Die 14 Novembris aeger, quin vestigia salivationis comparuerint, uncias tres unguenti consumserat. Narium ulcera sanata, et in faucibus rubor tantum conspiciebatur. Dolores vero osteocopi saepius iterum recruduere. Condylomata valde imminuta. Nil aliud, nisi decoctum saturatum ligni Guaiaci officinalis atque balneum tepidum quotidie praescribebantur. Die 28 ejusdem mensis, ex refrigerio, uti videtur, in diarrhoeam incidit, quae, sepositio balneo, ope pulveris radicis Cephaelidis Ipecacuanhae cum Opio sedata fuit. Haec diarrhoea vero rediit post aliquot dies, probabiliter ob errorem in diaeta commissum. Adhibitis amaricantibus, die 2 Decembris diarrhoea omnino siluit. Praeter dolores saepius noctu redeuntes, vix morbosi quid aeger offerebat. Salivatio nulla. Habeat Acidi Nitrici drachmas duas. Aquae fontis libram unam. Syrupi cujusdam unciam unam et semis. Hoc remedium usque ad 13 Decembris continuatum est, et urinae evacuationem et ciborum

desiderium augebat. Hoc enim tempore, quum aeger adhuc de doloribus, immo et de faucium ardore querelas faceret, sic praescribebatur: Rc. Pulveris Muriatis Hydrargyri. Oxydi Antimonii sulphurati hydrogenati aurantiaci āā grana duodecim. Opii puri grana quatuor. Sacchari albi drachmas duas M. divide in duodecim partes aequales. Capiat ter de die dosin. Repetatur balneum. Die 20 mensis gingivae irritatae apparuerunt; aeger vero caeterum de nihilo conquerebatur. Pulveres sepositi fuere continuato balneo. Die 27 gingivarum irritatio evanuit. Repetantur pulveres. Die 6 Januarii sanus, uti videtur, clinicum deseruit.

Epicrisis. Ulcus primarium venereum, jam jam perfecte sanatum, quod iterum aperitur, quin nova contagii actio locum habuerit, pro symptomate luis, ac igitur pro ulcere secundario considero, et pro tali pertracto. Revera et in nostro aegroto oxydum Hydrargyri nigrum, ulcus, quod de novo apertum est, sine remediis localibus sanavit. Hoc remedium interim alia luis symptomata eradicare non valuit, unde dolores osteocopi, ulcera faucium, narium etc. Quoad curam praesentis casus, ea certe nil peculiare habet. In hac pertractanda constanter hydrargyri sub variis formis porrecti calculum inire soleo, nec facile, dum consuetam dosin hujus remedii porrexi, mox ultra tuto procedi posse, persuasum habeo. Quamvis enim non omnia ea, quae a vulgo abusui hydrargyri adscribuntur, vera esse credam, nihilominus hac

ipsa ex causa tot mala mihi observare licuit, ut inexpertos haud satis, ne in hunc errorem incidant, moneri posse existimem. Alio loco cautelas hic opportunas exponam, nunc solum sufficiat meminisse, me de perfecta sanatione hujus aegri nequaquam certissimum esse, quia ille nunquam salivationem perpessus est. Quidquid enim objiciant; ex centenis observationibus compertum habeo, vix aut ne vix quidem sanationi luis fidem adhiberi posse, nisi plus minus salivationis praecesserit. Forsan diarrhoea nostro in aegro vices salivationis egit? Forsan haec diarrhoea speciem salivationis pancreaticae sive intestinalis retulit? Haec interdum ita se habere ex plurimis rationibus suspicor.

Observatio. Puella viginti sex annorum, tres retro annos blennorrhoeam (utrum cum, an sine ulceribus venereis ignoratur) contraxit. Duos post menses faucium inflammatio et deinde ozaena comparuerunt. Aegra in nosocomio, venereis dicato, sanitatem obtinuisse videbatur; sed vix dum domum redierat, cum ozaena tanta cum vi recrudesceret, ut misera magnam partem septi narium amitteret. Dolores osteocopi, et cephalaea aegram noctu excruciantes, supervenere. Varia, ignota nobis, medicamenta tunc conspicuo cum levamine assumpsit. Autumno anni 1805 sub magno pruritu, *herpes farinosus*, qui sensim sensimque totam corporis superficiem, excepta facie, horrendo prorsus adspectu, occupavit, ortus est. Hoc ob malum die 18 Novembris clinicum adiit. Ozaena praeter deformitatem relictam, non amplius conspiciebatur. Bal-

nea tepida et decoctum corticis Daphnes Mezerei, et dein sequentem medicinam exhibuimus: Rc. Aquae Lauri Cinnamomi unciam unam. Muriatis superoxygenati Hydrargyri granum unum. Tincturae Opii compositae drachmam semis. D. S. Ter de die drachmam semis. Vix quum aegra hoc medicamento per trium dierum spatium usa esset, cardialgia, cum diarrhoea et ructibus, in conspectum venit. Sulphuretum Potassae mala haec, praeter diarrhoeam, illico sedavit. Alvi enim profluvium porrecto Opio siluit. Quum post aliquot dies de novo ad usum Muriatis superoxygenati Hydrargyri perveniremus, eadem prorsus scena reiterata fuit, quare, sepositio hoc remedio, die 4 Decembris ad unguentum oxydi Hydrargyri cinereum, cujus drachma una quovis die post balneum illiniebatur, confugimus. Interne Acidum Nitricum aqua dilutum, ac syrupo edulcoratum, ad drachmam unam pro nychthemero porrectum est. Vix illinitis sex drachmis Unguenti illius, salivatio sese prodidit. Ea adeo molesta erat, ut a sequente remedio auxilium quaerendum esse, creditum fuerit. Rc. Sulphureti Potassae, Sacchari albi āā grana quatuor. Capiat bis in die dosin, superbibendo vasculum semis medicinae illius ex Acido Nitrico paratae. Altera die salivatio cessavit. A spatio hebdomadis circiter herpes longe meliorem formam assumserat. In balneis et acido nitrico, cujus dosis sensim sensimque ad unciam dimidiam augebatur, continuatum est. Quum cutis, a furfuribus herpeticis magna ex parte liberata, arida reddita esset, eam oleo inungi jussimus.

Acidum nitricum, ob prodromos salivationis de novo orta, per aliquot dies sepositum, dein autem iterum continuatum fuit. Imminuta irritatione cutis, ejus superficies solutione Muriatis superoxygenati Hydrargyri lavabatur. Sic usque ad 20 Januarii, quo tempore herpes fere omnino devictus erat. Tunc dedimus: Rc. Oxydi Hydrargyri et Antimonii sulphurati, Camphorae, Sacchari āā grana tria. m. f. pulvis D. S. Capiat bis de die dosin. Rc. Herbae Saponariae officinalis drachmas duas, radicis Glycyrrhizae glabrae drachmam unam; paretur decoctum ad colaturam librae unius et semis. Remanentibus solummodo quibusdam maculis in locis ab herpete valdopere male tractatis, aegra die 22 Februarii clinicum omnino sana dereliquit.

Epicrisis. Ex historia allata patet, nos ignorare, utrum prima hujus morbi causa, medorrhoea videlicet simplex, an cum ulceribus venereis complicata fuerit. Propriae enim observationes docent, et ex simplici medorrhoea, licet raro, luem sequi posse, quae res ab egregio *Swediaur* *) ultra confirmatur.

Salivatio hoc in casu remedio, a clarissimo *Hahnemanno* proposito, devicta fuit; de quo remedio tamen ut fatear oportet, me illud saepius sine omni fructu adhibuisse. Facilitas, qua aegra nostra in salivationem incidebat, curam morbi certe difficiliorem reddidit. Quoad ptyalismum sub usu acidi nitrici ortum, eum minime ex actione hujus remedii, sed ex hydrargyro prius assumto, derivarem.

*) Traité complet etc. des maladies syphilitiques. 4. Edition. Paris 1806. p. IX.

Nunquam enim salivationem ex acido nitrico observare potui, excepta, si placeat, ea, quae ex quacunque re acri ore assumpta nasci solet.

Observatio 3. Sartor triginta et unum annum a nativitate numerans, mense Maii 1804 ab ulcere venereo et medorrhoea infectus fuit. Successere dolores osteocopi, qui remediis nobis incognitis dissipati videbantur, quum de novo mense Aprilis 1805 redierint. Praevio tunc maximo pruritu, plurima ulcuscula ad cutem prorupere. Aeger morbum spernens, de die in diem magis emaciebatur. Mense Octobris nisero ad clinicum delato, totam corporis superficiem tum ulceribus, tum cicatricibus obtectam invenimus. Variis in locis ulcera ultra pollicis magnitudinem extendebantur. Oculus sinister inflammatus, vox nasalis, nasus tumidiusculus, sine foetoris sensu, meatus auditorius externus lateris sinistri excoriatus, pulsus continuo, inprimis vero ad vesperas frequentior, ac valde debilis, cum calore tunc aucto, et sudoribus nocturnis. Tussis, ulceraque fauciam nulla. Decoctum corticis Cinchonae officinalis cum radice Smilacis Sarsaparillae, alternatim cum sequenti medicina exhibuimus. Rc. Acidi nitrici drachmam semis, aquae fontis libram unam, syrupi Rubi Idaei unciam unam. Ulcera prius cum solutione Muriatis superoxygenati Hydrargyri lavabantur; deinde vero illis unguentum Basiliconis cum oxydo Hydrargyri rubro imponebatur. Aucto sensim sensimque acido nitrico usque ad semunciam in die, febris et sudores nocturni, redeuntibus viribus, sub magno urinarum profluvio et ciborum

desiderio, omnino evanuerunt. Ulcera simul longe puriora reddita sunt. Confugimus tunc ad balnea, nec non ad unguentum oxydi Hydrargyri cinereum, cujus drachma semis alternis diebus illiniebatur. In caeteris continuatum fuit. Illinitis duabus circiter unguenti illius unciis, sat conspicua salivatio in conspectum venit. Ulcera tunc omnino sanabantur. Hoc ipso vero tempore aeger post balneum frigori se exposuit, atque hinc in rheumatismum acutum incidit. Ab hoc etiam malo spatio trium hebdomadum liberatus, convalescens nil aliud, nisi dolores osteocopos hinc inde persentiebat, nec brachium satis extendere potuit. Pulveres ex Sulphureto Hydrargyri et Antimonii cum Camphora, nec non cum decocto Pruni padi curationi finem imponere debuissent, ast aeger die 3 Aprilis 1806 exitum petiit.

Epicrisis. Sub statu, quo aeger hic ad clinicum delatus est, inconsultum certe fuisset, mox ad hydrargyrum recurrere. Licet enim et febris hectica in venereis, usui hujus remedii aliquando cedat; in genere tamen fatendum, hydrargyrum febre hectica detentis adversari. Loco ejus, acidum nitricum, quod febris aestum temperare, viresque recreare, ac hydrargyri usui viam praeparare solet, maximo cum fructu adhibetur, de qua re casus praesens, licet simul alia remedia data fuerint, testimonium offerre mihi videtur.

Adnotatio. Unus aeger lue detentus, in clinicum susceptus fuit; sed mox, ipso petente, iterum dimissus est.

Caput XXVI.

Epididymitis.

Vir viginti octo annorum, constitutione robusta praeditus in medorrhoeam acutam post concubitum impurum incidit. Ea neglecta, et, uti videtur, male tractata, fluxus ex urethra quasi siluit, comparente epididymitide. Septima hujus morbi die, decima Junii, ad nostrum institutum delatus est aeger. De magno lumborum dolore conquerebatur, ita ut erecto corpore incedere non posset. Abdomen erat tensum; testiculi vero et funiculi spermatici ex utroque latere, inprimis vero in latere sinistro attactum nequaquam perferebant. Pulsus plenus et durus. Venaesectionem ad uncias decem, lene purgans non salinum, emulsionem gummi Mimosae nilo-ticae pro potu, clysma emolliens praescripsimus, et cataplasma, ex mica panis et lacte paratum, scroto, fomentationes vero, sic dictas emollientes abdomini imposuimus. Quum symptomata abhinc multum remiserint, nocte vero insommes essent, noctu Opium, interdiu vero balnea tepida adhibuimus. Sub hac methodo fluxus ex urethra rursus comparuit, cessante testiculorum inflammatione. Munitum aegrum suspensorio die 24 ejusdem mensis nonnisi chronica medorrhoea affectum, dimisimus.

Caput XXVII.

Cancer penis.

Rusticus de pago *Dzięciot* viginti milliaria ab rbe distante, quadraginta quinque annos a nativitate numerans, plurium infantum genitor, rmo corpore donatus, atque semper sanus, b cancrum virile membrum depascentem die 6 Aprilis 1806 clinicum nostrum petiit. Aeer hic, unquam syphilitico morbo affectus, himosi congenita laborans, ultra annum hunc n morbum incidit. Malum a simplici, uti eger referebat, excrescentia verrucosa orum, quam dein plures similes sequutae sunt, ub usu a quodam barbitonsore causticorum, raesertim Sulphatis Cupri, et post ablatiocem per cultrum praeputii, adeo virgam difformem reddidit, ut glans propria forma amisa offerre fungum pluribus ulceribus verrucosis atque luxuriantibus obtectum et maxime oetidum ichorem undique fundentem. Corora cavernosa, vix non ad mediam partem, equali ratione affecta fuere. Haemorrhagia m saepius, semel vero ad lipothymiam usue, in conspectum veniebat. Dolores atroes, sub quiete majores, quam tempore laorum, aegrum excruciabant. Testiculi utroue ex latere, una cum funiculis spermaticis,

sani, nec dolentes sub attactu apparebant. Glandulae inguinales sinistra ex parte durius-culae, tumidae, interdum vero dolentes erant; quae affectio jam antiqua, breve ante tempus sub itinere ad urbem, ut plurimum pedestri, aucta est. Febris nulla, nec vires prostratae observabantur. Prognosi dubia mox ab initio instituta, totam spem salvandi aegri in operationem chirurgicam posuimus. Die 24 ejusdem mensis clarissimus Professor Chirurgiae *Briotet* amputationem penis suscepit. Sanguis paucus, quam contrarie hinc inde, licet dexterrimis viris, obvenire solebat, post operationem effluxit. Adhibita per aliquot dies leni methodo antiphlogistica; dein vero cortice Cinchonae officinalis cum extracto Conii maculati et Muriate Hydrargyri; externe autem applicitis remediis, sic dictis, digestivis et injectionibus detergentibus, aeger sanatus, quin bubo glandularum inguinalium penitus resolutus sit, die 25 Maii clinico valedixit.

ACTA

INSTITUTI CLINICI

CAESAREAE UNIVERSITATIS

VILNENSIS

AUCTORE

JOSEPHO FRANK

AUGUSITSSIMO IMPERATORI ET TOTIUS RUSSIAE AUTOCRATORI A CONSILIIS AULICIS, THERAPIAE SPECIALIS ET CLINICES IN CAESAREA UNIVERSITATE VILNENSI PROFESSORE, SOCIO SOCIETATUM PHILANTHROPICAE PETROPOLITANAE, PHYSICO-MEDICAE MOSQUENSIS, MEDICAE, NUTU AC AUCTORITATE ALEXANDRI PRIMI NUPER VILNAE STABILITAE, COLLEGII MEDICORUM VENETI, SOCIETATIS AGRICULTURAE STUDIOSORUM FLORENTINAE, SCIENTIARUM ET ARTIUM ARGENTORATENSIS, ACADEMIAE MEDICAE, SOCIETATUM GALVANICAE ET MEDICAE PARISINAE, R. JENNERIANAE, MEDICORUM ET NOSOCOMII A GUYO LONDINI NOMEN HABENTIS, MEDICO-CHIRURGIC., FACULTATIS LUGENSIS etc. etc.

ANNUS SECUNDUS.

LIPSIAE, 1808.

IMPENSIS BIBLIOPOLII KÜHNIANI.

PRAECLARISSIMO PRINCIPI

ADAMO CZARTORYSKI

AUGUSTISSIMO IMPERATORI ET TOTIUS RUSSIAE AUTOCRATORI A CONSILIIS INTIMIS, SENATORI, PRAESIDII INSTRUCTIONIS PUBLICAE GENERALIS MEMBRO, ACADEMIAE CAESAREAE VILNENSIS CURATORI, ORDINUM ST. ANNAE ET ST. JOANNIS HIEROSOLYM. EQUITI etc. etc.

VIRO

INGENIO, DOCTRINA, VIRTUTIS LAUDE FLORENTISSIMO

LIBELLUM HUNC

D. D. D.

JOSEPH FRANK.

Introductio.

Quum ob varia negotia, salutem atque incrementum Imperatoriae Universitatis Vilnensis respicientia, ultra fines, quibus lege vacationes academicae circumscriptae sunt, Petropoli retentus fuerim, clinicum, cui praesum, institutum hoc anno tardius, quam consuetudo fert, die scilicet vigesima quinta Septembris MDCCCVI aperui. Ex hac die usque ad diem decimam Martii MDCCCVII indefessis viribus ac more consueto clinicos labores sustinuimus. Tabula sequens morbos, curriculo hujus temporis pertractatos, exhibet.

Character morborum	susceptii	sanati.	subelevati.	translati.	mortui.
Adfecti febre catarrhali et rheumatica .	17	16	—	—	1
— typho . . .	15	13	—	—	2
— febre gastrica .	2	1	—	—	1
— scarlatina . .	3	3	—	—	—
— morbillis . .	2	2	—	—	—
— rheumatismo acuto	2	1	—	1	—
— tinea faciei . .	1	—	—	1	—
— cynanche faucium	1	1	—	—	—
— phthisi tracheali.	2	—	1	—	1
— peripneumonia .	6	5	—	1	—
— phthisi pulmonali	1	—	1	—	—
— hydrothorace .	2	1	1	—	—
— ulcere ventriculi	1	—	—	—	1
— hepatitide . .	1	—	—	1	—
— obstructione hepatis	1	—	1	—	—
— diarrhoea . .	2	2	—	—	—
— dysenteria . .	3	2	—	—	1
— lumbagine . .	1	1	—	—	—
— nephritide . .	1	1	—	—	—
— angustatione urethrae . . .	1	1	—	—	—
— calculo vesicae .	1	1	—	—	—
— puerperio . . .	1	1	—	—	—
— galactorrhoea .	1	1	—	—	—
— metritide . . .	1	1	—	—	—
— retentione menstruorum . . .	1	1	—	—	—
— epilepsia . . .	1	—	1	—	—
— paralysi . . .	1	—	—	1	—
— hydrope anasarca	1	1	—	—	—
— lue venerea . .	5	4	1	—	—
— tumore lardaceo ad dorsum . .	1	—	—	1	—
Summa	79	59	6	6	7

Accidit vero mense Martio MDCCCVII, ut, cum maximus numerus militum, tum vulneratorum, tum morbis internis affectorum, Vilnam transferretur, loca, ad aegrotantes hujus modi recipiendos idonea, vix ac ne vix quidem invenirentur. Quarum quidem angustiarum testis, ut inde ortae miseriae, quantum poteram, occurrerem, domum clinicam, annuente Rectore hujus Caesareae Academiae, ultro recipiendis militibus aegrotis aperui, simulque promisi, ut, sicuti antea, praelectiones clinicas, modo aegrotorum numerus aliaque tempora id permitterent, continuarem. Quod proposueram, id arrisit quammaxime. Quare translatis prius paganis, qui in clinico tunc instituto decumbebant, ad xenodochium, quod dicunt, sororum misericordiae, intra spatium paucorum dierum nosocomium centum militibus recipiendis maximopere idoneum instruxi. Hoc autem nosocomium solis morbis internis curandis dicatum fuit, quorum rationem tabula haec exhibet:

Character morborum a die XI Martii usque ad finem Junii MDCCCII pertractatorum.	Susceptí	Sanati	mortui	translati	Remanent
Laborarunt febre catarrhali et rheumatica .	78	42	8	—	28
— typho . . .	103	60	10	—	33
— febre gastrica .	28	19	1	—	8
— febre intermittente	30	24	1	—	5
— glossitide . .	1	1	—	—	—
— cynanche . .	6	4	—	—	2
— peripneumonia .	37	24	4	—	9
— phthisi pulmonali et tabe . . .	10	—	6	—	4
— hepatitide . .	3	1	1	—	1
— diarrhoea . .	32	20	8	—	4
— dysenteria . .	42	35	4	—	3
— ictero	4	3	1	—	—
— cachexia . . .	6	4	1	—	1
— scorbuto . . .	13	3	1	8	1
— morbo chirurgico	1	—	—	1	—
Summa	394	240	46	9	99

Hic autem notandum est, quod in decursu hujus operis magis magisque elucescet, mortalitatem in nosocomio nostro militari a mense Martio usque ad Junium minimam fuisse, licet gravissimis morbis maxima aegrorum pars afficeretur. Intra enim temporis spatium, quod designavi, viginti et unus tantum diem obierunt supremum. Verum mense Junio rerum facies immutata est. Vilnam nempe tunc appulerat exercitus Illustrissimi Principis *Laba-*

noff, cujus plures legiones ex remotissimis imperii nostri limitibus advenerant. Inter hos milites plures aegroti febribus catarrhalibus, peripneumonia, diarrhoea et dysenteria potissimum laborabant, qui in nosocomiis vilnensibus relinquebantur. Maxima illorum pars jam e tribus hebdomadibus, imo ex integro mense aegrotabat, ac non pauci vix ad xenodochia perducti animam reddiderunt. Solo mense Junio viginti quinque ex hisce aegrotantibus, quamvis omnia tentata fuerint, morte ereptos dolui.

Cura, quam militibus impendere mihi summopere cordi fuit, nequaquam impedivit, quominus et aegrotantibus egenis hujus urbis auxilio venirem. Ut eorum scilicet morbi nequaquam sibi et naturae, aut, quod longe pessimum, hominibus circumforaneis relinquerentur, simulque magis magisque profectibus juvenum medicorum consuleretur, jam die decima quinta Aprilis MDCCCVI institutum sub nomine *Clinices ambulatoriae* creaveram. Ad eam porro aegroti vilnenses, necessario paupertatis testimonio muniti, siquidem lectulis non omnino affiguntur, confugiunt, atque peracto coram discipulis a clinices profes-

sore examine, consilio medicamentisque gratis instruuntur. Qui vero lectulum derelinquere nequeunt, hi domi a discipulis arte provectioribus visitantur, adhibito, ubi opus fuerit, professore in consilium. Spatio unius anni quadringenti novem et quadraginta aegri hoc beneficio usi sunt, nec minor numerus adhuc eo fruitur. Sumtus in medicamenta paranda suppeditat symphonia, quae quotannis a variis, qui non lucri caussa, sed oblectamenti gratia artem musicam exercent, dari solet. Tanta enim est Polonorum erga egenos liberalitas, ut, qualibet occasione arrepta, illis succurrant. Novum idque luculentissimum hujus rei exemplum offert *societas beneficentiae*, nuper sub auspiciis Eminentissimi Episcopi vilnensis, *Joannis Kossakowski*, inter nos stabilita, quae nunc vel ipsam clinicam ambulatoriam attingit.

Mihi quidem primum hujus operis volumen conscribenti, characteres morborum hac in urbe regnantium ex propriis tantum observationibus tum in clinica, tum in praxi privata factis determinare licuit: hoc vero, quod nunc editur, volumine et aliorum inritar observationibus. Vix enim Vilnam perveneram, quum statim desiderio flagrarem, medicis praeclaris,

hic artem exercentibus, mihique ipsi opportunitatem exhibendi, qua de morbis regnantibus ab unoquoque institutae observationes et consilia nobiscum invicem communicarentur, ac ad profectum scientiae ulteriorem conjunctis viribus studia conferrentur. Dies duodecima Decembris MDCCCV occasionem huic desiderio satisfaciendi feliciter praebuit. Nam quum arbitrarer, festum anniversarium nativitatis *Summi Imperatoris Alexandri Primi* melius celebrari haud posse, quam instituti, quod saluti publicae apprime prospiceret, fundamenta jaciendo, ea ipsa igitur die praecipuos Vilnae medicos, chirurgos atque pharmacopolas convocavi, ut omnium consilio *Societas Medica* institueretur. Placuit *Summo Imperatori* consilium, quapropter nostram societatem medicam nutu et auctoritate *Sua* stabilire non est dedignatus. Societas haec jam ex anno finem, quem attingendum sibi proposuit, sedulo curat, ac amplam sane sociis factorum segetem offert, e qua characteres morborum variis temporibus regnantium eruuntur, quamque in decursu hujus operis in meos usus convertere non negligam. Ne vero

moles praesentis libri nimis augeretur, minorem numerum historiarum morborum peculiarium descripsi.

Caput I.

Febres catarrhales et rheumaticae.

Morbi catarrhales et rheumatici, inprimis oculis et auribus infensi, per totum anctumnale tempus anni 1806 Vilnae grassati sunt. Mensibus Septembri et Octobri diarrhoeae frequenter in conspectum venerant, etiam rheumaticae indolis. Accedente hyeme, licet nequaquam rigida, affectiones catarrhales multum remisere, ac, uti infra ostendam, morbis exanthematicis locum concesserunt. Vix vero vernale tempus, idque humidum frigidumque appropinquaverat, quum genus illud morbi iterum grassaretur. Hoc inprimis de mense Martio valet, quo febres catarrhales non solum inter milites, sed et inter cives copiosae regnavere. Evanuerunt vero tardius tempestate sicca et frigida ingruente, ac mensibus Aprili et sequentibus non nisi sporadice observabantur. Meretur tamen, quae excipiatur, affectio quaedam catarrhalis maligna, quae diarrhoeam colliquativam comitem habens, men-

se Maio et Junio anni 1807 inter milites, ex Siberiae et Asiae confinibus venientes, observata est.

Mensibus Septembri et Octobri febres catarrhales *simplices* erant, tales scilicet, quae sine symptomatibus, evidenter inflammatoriis, aut nervosis occurrunt, spatio paucorum dierum solvuntur, et vix alia methodo, quam diapnoica, indigent. Quamvis hae febres, tum ob tussim, tum ob cephalaeam, aegrotantibus multa incommoda procrearent, attamen spatio septem dierum, vix adhibitis ullis remediis, praeter lenia diapnoica, sudore utplurimum solvebantur.

Notari tamen meretur, apud plures, reconvalescentiae stadium ultra terminos, qui ipsi post morbum tam levem concedi poterant, protractum fuisse. Feminae praesertim, hac sub epocha, plurima symptomata hysterica patiebantur. Non pauci tyrones clinici instituti, his ipsis symptomatibus terrefacti, jam transitum morbi in febrem nervosam timebant. Qua quidem opportunitate libentissime usus sum ita, ut discipulos meos serio monerem, ne symptomata nervosa *accidentalia*, quae omni morbo in hystericis praecipue et hypochondriacis hominibus accedere possunt, saepeque superveniunt, cum iis nervorum turbis confunderent, quae ex ipsa febre, tanquam necessarium morbi symptoma, propullulant.

Nobilem virum, qui, ingruente quacunque vel levissima febre, statim delirabat, Viennae

novi. Et nuper Vilnae feminam curandam suscepi, quam, simplici febre catarrhali correptam, tendinum subsultus male habebant. Idem symptoma, imo motus convulsivos a vesicatorio in alia femina productos conspexi. Legatur de his *Tissotus* *), cujus verba, a medicis accuratius ponderata, haud dubie numerum febrium, quae nunc pro *nervosis* vulgo declarantur, imminuerent multum.

Et unus ex nostris convalescentibus, post febrem catarrhalem simplicem, plura symptomata nervosa exhibebat, quae, licet aegrotus rusticus esset, tamen ex vitio hypochondriaco derivavi. An aliorum medicorum observationes hac in re, scilicet hypochondriasin inter rusticos, praesertim cum diu in nosocomiis retinentur, longe frequentius locum habere, quam vulgo creditur, meiscum conveniant, nescio.

Alter inter hosce convalescentes, *totam mediam linguam*, albo muco obtectam, ostendebat. Cujus quidem phaenomeni, cujus, si peripneumoniam respexerimus, jam *Hippocrates* mentionem injecit **), caussa in dente carioso, linguam irritante, posita erat.

*) Traité des nerfs et de leurs maladies.

**) In pulmonis inflammatione, si lingua tota alba fit et aspera; ambae pulmonis partes inflammatione vexantur: quibus vero dimidiata lingua; qua parte id apparet, inflammatio affligit. Co. No. 400.

Neque vero sequens observatio commemoratione indigna videtur. Vir quadraginta annorum, ex febre catarrhali convalescens, suspicionem phthiseos pulmonalis movit. Pulvis seminum phellandrii aquatici porrigebatur, unde nausea oriebatur. Continuato nihilominus eodem remedio, altera die pulsus aeque lentus, exilis, et proxime insecuto nychthemero intermittens reddebatur, ac si aeger folia digitalis purpureae assumsisset. Similia jam aliquoties, sub usu seminum phellandrii aquatici, observavi.

Febrium catarrhalium sive rheumaticarum *inflammatoriarum*, h. e. earum, quae ob symptomatum vehementiam, inprimis vero ob pulsuum conditionem, peripneumoniae vel rheumatismo acuto accedunt, plurima exempla in clinico, praecipue versus finem mensis Decembris, et sub initio Januarii, obvenerunt. Paucis tamen aegrotis vena secanda erat, quippe quum usus copiosus nitratis potassae utplurimum sufficeret. Morbus in nonnullis per epistaxin solutus est. Idem per leve sanguinis sputum contigisse observavi.

Febres catarrhales *nervosae* h. e. eae, quae cum conspicua virium prostratione, et nervorum tumultu, periculoque magno conjunctae sunt, mense Octobri saepius occurrebant. Sex aegri, hoc morbo correpti, in clinico eo tempore pertractati fuere, quorum unus morti eripi haud poterat. At audio, qui mihi haud temere regerant, febres hujus

modi minime pertinere ad catarrhales, sed potius ad nervosas. Audio quidem, sed considerans accuratius symptomatum catarrhalium catervam, primamque morbi originem ab ea, quam de harum febrium natura ac ingenio foveo, sententia quominus recedam, prohibeor.

Observatio. Juvenis decimum quartum aetatis annum agens postquam diaetae errorem sat gravem commiserat, seseque aëris humiditati exposuerat, illico a vehementi febre correptus est. Tertio morbi die (die 10 Octobris) clinico instituto infertur. Cephalaea, oculi rubri, splendentes, susurrus aurium, signa quaedam gastrica, alvus stricta, tussis cum pectoris cruciatu sub profunda inspiratione, epigastrii et lumborum dolores, subsultus tendinum, pulsus 116 minime debiles, cum virium prostratione magna. Reserata alvo ope clysmatis, decoctum pulpae tamarindi indicae exhibebatur. *Die morbi quarta.* Alvus semel faeculenta mota, urina sedimentum copiosum puriforme deponit, subsultus tendinum evanuerunt, pulsus magis elevatus, irritatus. Reliqua symptomata aut evanescebant, aut mitiora reddebantur. Praescribebatur decoctum hordei distichi cum nitrate potassae, et melle acetato. *Quinta.* Alvum ter liquidam deposuit, noctu deliravit; tussis humida, sputa striis sanguineis notata, pulsus debilior 120. Decoctum radicis orchidis moriae cum syrupo adianti capillorum veneris exhibebatur. *Sexta.* Status fere idem. Repetitur medica-

mentum; applicantur suris duo rubefacientia. *Septima.* Delirium continuum, tussicula frequens, inanis, pulsus debilis 120, dentes nigro muco obducti; ore aperto a ger jacet. Emulsio cum gummi resina ferulae assae foetidae porrigitur, alternatim cum infuso florum arnicae montanae, et papaveris rhoeados. *Octava.* Status fere idem, virium dejectio major. Infusum radicis aristolochiae serpentariae, et alternatim pulveres ex grano camphorae et moschi. *Nona.* Nulla mutatio. *Decima.* Sudor universalis, somnus; evigilato aegro, respiratio apparet valde difficilis, tussis continuo urget loquelam impediens cum dolore sub sterno, pulsus magis elevatus 116. Venae sectio ad uncias sex: decoctum althaeae cum syrupo ejusdem pro medicina. *Undecima.* Sanguis densus nullam crustam exhibet, respirationis difficultas eadem, pulsus 142, virium prostratio major. *Duodecima.* Praegresso stertore, hora sexta matutina mortuus est. *Sectio cadaveris.* Pulmo dexter undiquaque cum pleura, mediastino et diaphragmate concretus, et ejus externa superficies rubore erysipelaceo imbuta atque tincta. Ipsa vero hujus pulmonis substantia nequaquam inflammata. Contrarium de bronchiis, et de ipso adeo larynge dicendum. Pulmo sinister ceteraque viscera nil morbosi offerebant.

Epicrisis. Febrem catarrhalem nervosam, decima die, in peripneumoniam vel potius in *bronchitidem* transiisse, tum ex symptomatum consideratione, tum ex ipsa cada

veris sectione, clare patet. Venae sectio hic certe anceps fuit remedium, atque poenituit eam instituisse, quamquam non temere ac levi animo ad hanc operationem confugi. Ea enim profuerat evidenter in alio aegro, qui in clinico instituto decumbebat, sub eadem fere rerum conditione. Neque minus proficua erat postea militibus, gravi illa febre catarrhali laborantibus, cujus supra mentionem injeci. Aegroti tales, quam maxime ex morbo, utplurimum provecto, viribus fracti erant ac emaciati. Tussis inanis eos excruciabat, cum respiratione summopere difficili et anhelosa, nec non lateris dolore vix tolerando. Apud non nullos alvi profluvium, aliquando cruentum, in conspectum venerat. Pulsus in universum frequens observabatur et debilis, sed interdum simul contractus ac subdurus. Nec deerant saepe tremores, subsultus tendinum, et deliria. Pulvis ipecacuanhae et opii, acetas ammoniae, radix angelicae archangelicae, camphora, vesicatoria, aliaque fere incassum praescripta fuere: nam tantum non omnes moriebantur. Sola venae sectio, ac post eam vesicatorium pectori impositum, nonnullos mortis faucibus eripere poterant: cujus rei veritatem et Experientissimus *Lobenwein*, observationibus in nosocomio militari, cui ille praeerat, institutis, quas cum societate nostra medica benevole communicavit, apprime confirmavit. Monendum autem est, haud omnes, quibus in tam gravi rerum conditione vena sauciata fuit, convaluisse. Ejusmodi observationes saepius mihi praebuerunt occasionem audito-

rum meorum animos ad *complicationem morborum* intendendi, quae faciliori negotio negari, quam explicari potest.

Non deerant denique febres catarrhales, sub quarum decursu primae viae multum adficiebantur, quasque quominus *gastricas* vocemus, nil impedit. Tartris potassae et antimonii, in refracta dosi exhibita, egregiam ac salutarem vim exseruit.

Caput II.

Typhus.

Typhus peticularis, Vilnae vernali tempore et initio aestatis anni 1806 regnans *), serius omnino evanuit; nam sporadice saltem inter pauperes et plebem judaicam diu adhuc observabatur. In universum usque ad mensem Novembrem, praeter febres catarrhales et scarlatinam, nullus morbus constitutionalis, salutem publicam perturbabat. Hoc autem mense versus finem vergente, praeter opinionem febris petechialis, in monasterio Sti. Stephani, neophytarum educationi dicato, incendebatur ita, ut monachae, unam si exceperis, omnes et neophytarum totus chorus ab illa correptae graviter decumberent. Monasterium hoc pauperrimum, extra urbem, meridiem versus, loco elevatiori, ad confinia duorum coemeteriorum, positum est: Origo morbi haec. Quum cadaver hominis cujusdam in carceribus de-

*) Acta clinici instituti Vilnensis. An. Primus. Cap. III. pag. 49.

mortui sine capulo, seu loculo ligneo, quo mortui apud nos inclusi terrae mandari solent, sepeliretur, una ex puellulis, illi prope adstitit. Quae vix domum redux, de nausea, cephalaea viriumque prostratione multum conquerebatur: id utrum ex animi pathemate, an ex contagii vi, aut potius ex utraque causa simul agente, evenerit, non definio. Illa symptomata excepit febris. Monachae duae, quibus peculiaris huius aegrotulae cura commissa erat, mox in similem morbum inciderunt. Idem cum aliis monachis, aegrotarum curam habentibus, accidit, ita tamen, ut febris lento tantum gradu inter monachas, ob separatas illarum a se invicem habitationes, propagaretur. Citissime vero contagii vis latius serpebat, ut primum cubicula neophytarum communia intraverat. Etenim intra decem dierum spatium omnes, triginta duae, morbo hoc correptae decubuere. Quae quidem misera sors non poterat non, quin gravissime animos omnium, qui haud omnino versus humanitatis sensus occalluerant, adficeret. Deerant enim aegrotis alimenta, ligna, nec unde remedia sibi compararent, scibant. Aer maxime impurus cubicula replebat, in quibus aegrotae sine ordine aut humi prostratae, aut in sedilibus repositae jacebant, nec praesto erat fere, qui sitientibus aquam porrigere posset. Rebus igitur maxime urgentibus, a medico ordinario monasterii, Cl. Professore *Spitznagelio*, in auxilium vocatus, Episcopum de tanta malorum, in miseras monachas ingruentium, vi certiorem feci, qui sine mora amplissima cum liberalitate ac munificentia miseris succurrit. Re-

mediorum vero sumptus ex fisco clinices sic dictae ambulatoriae feci. Medico ordinario sublevando, ex commilitonibus clinici instituti, Dominus *Stanislaus Kossowski* sua sponte operam obtulit suam. Is paucis diebus elapsis monasterium in nosocomium rite constitutum transformavit. Prima enim illius cura fuit munditiei et ordini studere, suffimigia ex acido nitrico instituere, morborum historias conscribere, denique ad omnia, quae sub tali rerum conditione desiderari possunt, respicere. Cujus quidem operae ac studii tam felix successus fuit, ut una tantum aegrota morbo succumberet. Amplam hujus morbi, typhum, uti monuimus, peticularem sistentis, descriptionem ipse Dominus *Kossowski* in dissertatione inaugurali exponet. Hoc loco sufficiat meminisse, peticulas inter quintam et sextam diem, cum levamine omnium symptomatum, praecipue soporis, delirii, et subsultus tendinum, efflorusisse; in omnibus simul faucium dolorem ruboremque una cum deglutitione impedita adfuisse ita, ut duae aegrotae adeo scarlatinae suspicionem moverent; febrem vero ad decimam quartam diem erumpente sudore universali constanter terminatam esse. In nulla convalescentium desquamatio epidermidis observata fuit, nec ulla in hydropem incidit, licet plurimae atmosphaerae vicissitudinibus sese imprudentes exposuissent. Methodus medendi simplex, ac pro varia morbi aegrotarumque conditione, varia adhibebatur. Emeticum, mox ab initio morbi porrectum, illius vim evidenter infringebat. Idem effectus, praecipue apud juniores puellulas, ex nitrate potassae, larga manu,

cum decocto panis, propinato, obtinebatur. Protracto autem morbo, ac decrescentibus viribus, in nonnullis aegrotis infusum sive radicis angelicae archangelicae, sive arnicae montanae, vel camphora maximam attulerunt utilitatem. Bis, propter cohortem symptomatum nervosorum, ad gummi resinam ferulae assae foetidae sub forma clysterum confugere medicus cogebatur. Vomitus effrenis, nullo remedio sedandus, una in aegra apposito regioni ventriculi vesicatorio siluit.

A mense Septembri 1806, usque ad initium Martii 1807 duodecim aegros typho laborantes in clinico instituto pertractatos fuisse, tabula de morborum diversitate et aegrotorum numero consignata docet, qui quid notatu dignum exhibuerint, nunc exponam.

Observatio I. Puella viginti quatuor annos nata, graviter typho peticulari decumbens, die 28 Septembris, qui morbi septimus erat, ad clinicum institutum delata est. Praeter capitis dolorem insignem, de aurium sussurru conquerebatur. Respiratio erat anhelosa, et ope pinnarum narium absoluta. Supervenerunt deliria nocturna, involuntaria faecum et urinae depositio, aliaque funesta hujus morbi signa. Infusum florum arnicae montanae, camphora, et assa foetida praecipue in auxilium adhibebantur. Febris, sine ulla evidenti crisi sensim sensimque versus vigesimam quartam morbi diem feliciter terminata est. Convalescentia admodum lenta. Sub illius progres-

su aegrotus praeter opinionem, de visus obnubilatione oculorumque pruritu, quasi ab arena inspersa, conqueri coepit. Pupilla praeter modum dilatata, et albuginea, colore ex albo sublivido notata, conspiciebantur. Cephalaea nulla; frequens vero aurium tinnitus. Vesicatorium ad nucham, murias hydrargyri, cum foliis digitalis purpureae, et decoctum corticis cinchonae officinalis praescripta, et serius frictiones ex aethere sulphurico et tinctura opii composita in regione supraorbitali institutae sunt. Tandem et cortex daphnes mezerei brachiis applicabatur. Sub hac methodo intra sex hebdomadum spatium aegra omnino a visus incommodis liberata est, remanente tantum aliqua pupillae dilatatione, quae abnormis videbatur.

Epicrisis. Quamvis visus obnubilatio, convalescentiae ex typho accedens surditatis instar, ex debilitate saepe originem ducat suam, tamen haud raro vitium majoris momenti, metastasis scilicet, subesse solet. Hoc inprimis apud eos locum habuisse vidi, qui lue venerea affecti et mercurio utentes a typho corripiebantur. Plurimi enim ex illis in insanabilem amaurosin inciderunt. Sed aliquando et propter annuam constitutionem oculi in typho laborantibus inprimis laborare videntur. Aestate anni 1800 plurimi versus finem febrium nervosarum visus obnubilationem aliaque oculorum incommoda in nosocomio vindobonensi experti sunt. Praesertim ii aegrorum mala hujusmodi patiebantur, quorum decumbentium oculos radii solares magis feriebant. Methodus medendi, quae recentissimis aegrotis

fuerat adhibita, et olim fructum attulit. Non nisi una vice galvanismo utiliter usus sum.

Observatio II. Famulus viginti duorum circiter annorum, die 2 Januarii redux ab itinere, sub quo diu atmospherae vicissitudinibus expositus fuerat, in febrem symptomatibus catarrhalibus stipatam incidit. Die morbi nona cum ad clinicum institutum delatus, et die sequenti publico examini subjectus esset aegrotus, magnam virium prostrationem, faciem, quae gravis morbi praesentiam arguebat, oculos splendentes, subsultus tendinum, manuum tremores, respirationem difficilem offerebat. Lingua erat admodum sicca, et inexplebilis sitis miserum excruciabat. Conquerebatur simul de gravi cephalaea et aurium susurru; pulsus inconstans ad 100. Symptomata catarrhalia vix ulla. Pulveres ex grano camphorae et scrupulo nitratis potassae secunda quaque hora exhibiti fuere. Ad vesperam remissio; pulsus 96. *Die undecima morbi*: noctu deliravit; tremores et tendinum subsultus, nec non respirationis difficultas evanuerunt: perseverat tamen cephalaea auriumque tinnitus: pulsus magis elevatus 84: dolor ad sternum. *Die duodecima.* Somnus interruptus, pulsus 72 irritatus, calor sanus, cephalaea et sterni dolor continuant, urina pallida. Seponantur pulveres et habeat aegrotus decoctum radicis althaeae officinalis cum liquore acetatis ammoniae. *Die decima tertia.* Noctu delirium, febris nulla, facies lurida, lingua carni crudae similis; dolor sterno relicto, latus dextrum thoracis occupat, urina pauca, turbida. Infusum florum

arnicae montanae, cum liquore acetatis ammoniae, et duo vesicatoria ad suras ordinantur. *Vespere.* Pulsus 54; oculi nunc fixi, nunc simultaneo motu oscillatorio cellerrimo bis terve intra temporis minutum fulguris instar agitati: pupilla potius contracta. Hirudines ad tempora, et pone aures applicantur. *Die decima quarta.* Sat bene dormivit. Capitis dolor praecipue ad tempora, auriumque susurrus vehementer urgent; oculi minus fixi; eorum motus oscillatorii perstant; pulsus 53 undosus, irregularis; nausea; bis vomuit, urina clara; virium prostratio magna. ℞. Muriatis hydrargyri, extracti aconiti napelli aa grana duo, sacchari scrupulum dimidium. M. fiat Pulvis: capiat omni bihorio talem pulverem. *Vespere*: pulsus 49, regularis, plenus: motus oscillatorii oculorum licet rariores, majori tamen cum vi absolvuntur: oculi lacrymis innatantes: suspiria frequentia: semel vomuit: Pediluvium et sinapismi acriores ad plantas pedum praescribuntur. *Die decima quinta.* Status fere idem, vertigo, torpor manus sinistrae; vomitus nullus; pulsus 52. Pulveres repetuntur, sed loco extracti aconiti folia digitalis purpureae adhibentur. *Die decima sexta.* Cephalaea imminuta, vertigo nulla, oscillatorii oculorum motus rariores, lingua humida, ptyalismus nullus, alvus regulariter movetur, pulsus 55, regularis, pleniusculus: urina parca cum largo sedimento puriformi. Repetantur pulveres aucta dosi digitalis ad grana tria et pediluvium adhibeatur. *Die decima septima.* Status fere idem; vires et appetitus redeunt, cutis vero pergamena. Repetuntur pulveres, aucta dosi

digitalis ad grana quinque. *Die decima octava.* Omnia in melius vergunt, frequens nictitatio supervenit. Continuat pulverum usum et praeterea, liquore acetatis ammoniae, balneo tepido, et vesicatorio ad nucham utatur aegrotus. Quae quidem methodus per tres continuos dies cum levamine adhibita est. Nunc cum caput perpetuo contremisceret, nec non vestigia ptyalismi cum conspicuo virium languore sese offerrent, sepositio hydrargyro, corticis cinchonae officinalis decoctum imperabatur et frictiones cum aethere sulphurico et tinctura opii composita ad regionem supraorbitalem adhibebantur. Sub usu horum remediorum morbi symptomata sensim sensimque remiserunt, ita, ut aeger post mensem nosocomium, optima salute fruens, relinquere posset.

Epicrisis. Vehemens capitis dolor, aurium tinnitus, oculorum convulsivi motus, pulsuum lentor, quae omnia in conspectum venerunt, ut primum subsultus tendinum, tremores manuum, et respirationis difficultas evanuerant, probabilem reddunt sententiam, qua morbi, natura sua rheumatici, causa illis, quae antea occupaverat, locis relictis ad thalamos nervorum opticorum migrasse statuitur. An hic fortasse species hydropis acuti, ventriculos cerebri occupantis, ortus est? — Efficacia methodi adhibitae hanc suspicionem confirmare videtur. Quomodocumque res sese habeat, observationem hanc memoratu dignam esse existimo.

Observatio III. Invenis viginti quatuor nnorum, typho laborans, quinta morbi die d clinicum institutum deportatus est. Petiulae *septima tantum die* efflоruere ac decia evanuerunt. Morbus die decima quarta liciter iudicatus est.

Observatio IV. Aegra typho peticulari ffecta, octava morbi die, quum totum corus sudore coopertum esset, incaute die 25 Sepmbris ex nosocomio sororum misericordiae d clinicum institutum delata est. Supervenit iox gravis pectoris affectio, cum sopore et iiarrhoea, ac misera, irritis omnibus remedi., (vesicatoriis scilicet, camphora, ammonia) ost quatuor dies obiit.

Observatio V. Juvenis decimum quarm annum attingens, miserrimam vitam duens, tertia morbi die (10 Octobris) gravi iam pho detentus, in clinico instituto auxilium uaesivit. Facies alternatim pallescebat ac ruore suffundebatur. Urina sedimentum purirme deiiciebat. Supervenerunt deliria furio, immobilitas pupillae, aliaque symptoma, quae gravem sensorii communis affectionem dicabant. Quum febris ab initio, gastricis mptomatibus, et alvi obstructione stipata es, aegerque ante morbi accessionem erroem diaetae commisisset, alvus primum ope marindi indicae cum levamine movebatur. eger deinde per duos dies decocto radicis ornidis morionis cum syrupo adianti capillorum neris usus est. Ast quum morbus in dies in ejus rueret, viresque valde imminuerentur;

tum ad vesicatoria, tum ad gummi resinam ferulae assae foetidae, aliaque sic dicta excitantia et nervina, habito semper respectu ad transpirationis functionem, confugimus. Die decima morbi, praegresso sudore, delirium aliaque symptomata nervosa remiserunt quidem, ita tamen, ut gravissima peripneumonia in conspectum veniret. Pulsus 116, sat elevatus. Sepositis remediis pristinis, emollientia, et venae sectio ad uncias sex praescripta sunt. Mitiora quamquam peripneumoniae symptomata, praeter respirationis difficultatem, reddebantur, tamen vires evidenter decrevere, supervenientе simul decubitu gangraenoso ad nates. Aeger post biduum animam exhalavit suam. Secto cadavere, pulmo dexter undique cum pleura concretus, variisque in locis pseudo-membrana obtectus, nec non erysipelatosa inflammatione prehensus, conspiciebatur. Pulmo sinister sanus. Magna vero inflammatio superficiem internam laryngis, et bronchiorum occupabat.

Epicrisis. Nulla vitae epocha febribus, de quibus sermo est, sustentandis minus apta atque idonea deprehenditur pubertate. Porro sedimentum jam primis morbi diebus in urina obveniens periculum ostendebat. Raro enim hoc ipsum signum fallit, medicumque in errorem ducit. Quum peripneumonia, quae sese typho ex retropressa, uti videbatur, transpiratione comitem sese adiunxerat, in observatione praecedente sub methodi excitantis usu per mortem terminaretur, hoc in aegroto, in quo similis fere rerum conditio aderat, relicta medendi ratione excitan-

, eo magis ad parvam venaesectionem con-
igere ausus sum, quo magis pulsus esset ele-
atus. Quamquam autem haec operatio non-
ulla peripneumoniae symptomata omnino le-
averat, tamen vires vitales quoque infregit,
iortemque, quam nulla ars praecavere pote-
it, accelerasse videtur. O quam difficile est
rtis medicae exercitium!

Observatio IV. Femina triginta sex annos
ata, ex animi pathemate, et forsan ex conta-
ii impetu in typhum incidit. Sexto morbi die,
ui erat decimus tertius Decembris ad clinicum
istitutum defertur. Magna symptomatum re-
ugnantia observatori sese obtulit: lingua enim
alde sicca, sitis nulla; vaniloquium sine ce-
halaea; pulsus frequens, debilis, diffluens;
alor cutis sanus, sudores etc. Camphora,
ether sulphuricus, vesicatoria, aliaque hujus
eneris medicamenta in auxilium vocantur. Ni-
ilo tamen minus febris, quae matutino tem-
ore magis incendebatur, usque ad trigesimam
uartam diem protrahebatur, qua mors immi-
ere videbatur. Praegresso enim horrore, fa-
ies hippocratica reddita est; extremitates fri-
ebant pulsusque vix aut ne vix quidem perci-
iebatur. Neque tamen periit aegrotus, imo
ebris in melius conversa, usque ad quinqua-
esimam diem saeviit. Convalescenti tussis
ehemens molestias creavit, tandem semi-
ibus phellandrii aquatici sedata.

Epicrisis. Morbus hic imaginem potius fe-
ris lentae nervosae, quam typhi proprie dic-
offert. Sudores, primis diebus orti, tardio-
em morbi decursum praenuntiabant, uti sym-

ptomatum repugnantia illius periculum. Hisce in febribus, etiam sub conclamata fere rerum conditione, nunquam omnino de vita et salute aegroti desperandum esse, haec quoque morbi historia luculentissime docet. In alia aegra, simili fere morbo laborante, quae mense Septembri ad clinicum institutum delata est, febris ad quadragesimam sextam diem protrahebatur.

Centum tres milites typho laborantes, a die decima quinta Martii usque ad finem Junii in clinico instituto pertractati, integro libro argumentum praeberent, si omnibus numeris absolutam morbi, quo decumbebant, historiam exponere vellem. Quum vero iam plurimae descriptiones febrium tempore ultimi belli, in Germania septentrionali regnantium, publici juris factae sint*); quumque observationes meae cum illis clarissimorum auctorum fere omnino conveniant; sufficiat pauca tantum in medium proferre. Mense Martio typhus quidem Vilnae inter milites sat communis erat, verum vix indolem contagiosam exhibebat. Utplurimum enim morbus ex febribus catarrhalibus neglectis originem trahere videbatur. Tyrones inprimis ab eo corripiebantur. Mensibus Aprili et Maio autem typhus indolem aperte con-

*) Über die Nervenfieber, welche in Berlin im Jahre 1807 herrschten etc. von *A. F. Hecker*. Bemerkungen über die Nervenfieber, die im Winter 1806 und 7 in Preufsen herrschten, von *C. W. Hufeland*.

tagiosam sumebat. Fere enim omnes, qui aegrotantibus hujusmodi opem ferebant, fumigationibus acidis et aëris puritate frustra adhibitis, in similem morbum incidebant. Plurimi contagii fatalem actionem statim percipiebant. Quorum nonnulli mox vomitu corripiebantur, admodum salutari: nam illum aut nullus omnino aut levis admodum morbus sequebatur. Eundem effectum apud plures vomitorium illico porrectum praestitit. Quam maxime autem typhus inter Gallos captos contagiosus nec non peculiari malignitate dotatus et maximopere timendus erat. Innumerabiles cives vilnenses, eorum nosocomia aut humanitatis, aut curiositatis gratia visitantes, perniciosissimi morbi germen domum retulerunt, et ex hac potissimum causa typhus per totam urbem propagatus fuit. — Notatu dignum est, quod eo tempore, quo inprimis Gallos typhi latissime Vilnae grassantis caussam accuso, *Cl. Hecker* *) aequali modo typhum, inter captivos rossicos milites Berolini regnantem, urbi huic infensissimum fuisse statuerit. Quamobrem *Ill. Hufeland* omni jure monet, extraneos hisce a morbis gravius affici indigenis **).

Peticulae nequaquam in omnibus aegrotis in conspectum venerunt. In universum magna symptomatum varietas occurebat, praecipue sopor, deliria, subsultus tendinum, tremores artuum, floccorum captatio, crines flaccidi, lippitudo, lingua sicca, os internum ni-

*) l. c. p. 30.

**) l. c. p. 5.

grum, respiratio difficilis, abdominalis; icterus; alvi fluxus, tum serosus, tum cruentus; meteorismus; furunculi; decubitus gangraenosus; epistaxis; sudores profusi etc. Apud plurimos morbus, qui mitis ab initio videbatur, deinde periculosissimus evadebat; non raro contrarium contigit. Saepe aegri a morbo jam-jam convalescere videbantur, cum morbus de novo recrudesceret. Quae quidem subitanea immutatio nunquam sine magno vitae periculo accidebat; id quod omnino de recidivis morbis statuendum est. Ex pulsuum conditione, quousque fieri potest, non neglectis aliis signis, sat tutum desumebatur prognosticon; qua in re observationes nostrae uti cum illis, quas egregius *Hufelandius* *)instituit, consentiunt, ita ab observationibus *Cl. Heckeri* **) differunt. Convalescentes vix non omnes de vix perferendis extremitatum inferiorum doloribus qui motum adeo impediebant, per mensem unum alterumve perdurantibus conquerebantur. Originem horum dolorum ex defatigatione morbum praegressa primum derivavi; sed quum et cives vilnenses, commodam vitam ducentes, ab eodem morbo correpti, idem symptoma, quando a morbo convalescebant, experirentur, dolores hujusmodi epidemiae proprios judicavi.

Ab initio morbi vomitorium saepe usui fuisse aegrotis, jam monuimus. Neque tamen reticendum est, emetica aliquando aut non juvasse aut luculenter nocuisse. Quamobrem in casu dubio saepe tartritem potassae et anti-

*) l. c. p. 11.

**) l. c. p. 63.

monii, in refracta dosi adhibui, quo remedio plurimi per totum fere morbi decursum proficue utebantur, praesertim mense Majo, ubi typhus saepe indolem gastricam prae se ferebat.

Calor cutis urens, proclivitas ad epistaxin, pulsus irritatus, symptomataque catarrhalia nitrate potassae ab initio morbi temperabantur. Pectore sat libero, absente diarrhoea, acidum sulphuricum, tum simplex, tum alcoholisatum aqua dilutum, saccharoque edulcoratum, optime profuit. Imo illud potioribus hoc in morbo remediis adnumerandum fuisse fateor. Praesente majori virium prostratione sequenti formula usus sum: ℞. Vini gallici rubri libras duas: acidi sulphurici alcoholisati drachmam unam: sacchari uncias duas. Raro occasio sese mihi obtulit, aegros aqua frigida conspergendi. Morbus enim ut plurimum nimis provectus, viriumque ac pulsuum conditio nimium depressa erat, quam ut hanc medicinam ab Exper. *Currie* commendatam in auxilium vocare auderem.

Infusum sive decoctum florum arnicae montanae, urgente hac in febre sopore et stupore, adhibitis simul vesicatoriis ad suras, optimos praestitit effectus. Ubi vero magna aderat systematis nervorum mobilitas, radix valerianae sive officinalis sive phu nec non gummi resina assae foetidae, caetera remedia virtute antecellebant. Moschum vix aut ne vix quidem propter summum ejusdem pretium, et difficilem genuini medicamenti comparationem propinavi. Eo frequentius atque lubentius camphoram praesente pulsu debili, diffluen-

te, aequali et molli, facieque pallescente, nec non cutis calore potius imminuto utiliter hoc modo exhibui. ℞. Seminum lini usitatissimi drachmas tres, coque per horae quadrantem cum suffic. quant. aquae communis. In colatura librae unius cum dimidia subige camphorae rasae scrupulum unum. De efficacia aetheris sulphurici et liquoris carbonatis ammoniae empyreumatici, ob vanum ex hypothesi antiquata putrescentiae metum praeeunte jamjam *Pringli* one utiquam omittendi, contra maximam in typho virium prostrationem, cum pulsu tremulo, molli, intermittente, utpote de re vulgari atque experientiae quotidianae usu confirmata taceo. Sed hoc silentio praeterire nequeo, me interdum plus per simplicem et aliquando expectativam medendi methodum, quam per farraginem et continuam mutationem medicamentorum effecisse. Interim, docente tabula de aegrotis consignata, decem eorum amissos dolemus. Tanta enim est interdum hujus morbi ferocitas, ut omnia nota artis molimina incassum adhibeantur. Quid igitur de iis, qui de singulari in ejus medela successu cum arrogantia gloriantur, cogitandum et statuendum sit, aliis diiudicandum relinquo *).

Superest, ut de *alvi profluvio* typho hac in epidemia, recte monente Clarissimo *Hufelan-*

*) Egregie de medicorum jactantia in typho pertractando, dignus Werlhofii et Wichmanni aemulus, Cl. *Stieglitzius*, in opere nuper edito *de Scarlatinae cura*, quod hoc jam jam ad finem perducto libro ad me pervenit, locutus est p. 43. sq.

tio *) fere proprio, verba nonnulla addam. Supervenerat hoc symptoma nunc ab initio morbi nunc sub medio ejus decursu, nunc idque raro admodum, versus finem. Mensibus Martio et Aprili saepe diarrhoea hoc in typho perniciosa erat; saepe vero salutaris, saltem non nociva, mense Maio. Aegrotantibus, sopore et surditate laborantibus quibusque facies rubra oculique splendentes erant, alvi profluvium, nisi immodicum, et per plures dies protractum, haud nocebat. Nocebat vero utplurimum in typho, gravi pectoris affectione stipato. Abdomen praesente diarrhoea subsidens, calor cutis, sitisque, post alvinas dejectiones imminuti, pulsus magis elevatus, adspectus aegri melior diarrhoeam salutarem aut saltem non nocivam esse docebant; ubi contraria phaenomena aderant, sinister exitus morbi metuendus erat, atque in his solummodo aegrotis alvi profluvium fomentationibus calidis, aut vesicatorio etiam abdomini impositis, et si haec nil juvarent, clysteribus opiatis sedare tentavimus.

*) l. c. p. 46.

Caput III.

Febres gastricae.

Febres gastricae continuae, si eas exceperimus, quae inter milites mensibus Aprili et Maio sat late grassatae sunt, per totum hunc annum sporadice tantum regnavere. Nunquam imaginem harum febrium, qualem *Stollius* egregie delineavit *), melius expressam vidi, quam in hisce aegrotis. Calor cutis erat urens, facies et oculi flavescebant, genae profundo rubore obductae cernebantur; ne de aliis vulgatissimis signis gastricis sermonem instituam. Curam emetico medicamento aggressus sum ac deinde tartritem potassae et antimonii in refracta, quam dicunt, dosi praescripsi. Nisi alvus satis moveretur, cum ad pulpam tamarindi indicae, tum ad sulphatem magnesiae confugere solebam. Decrescentibus viribus, atque calore urente pulsuque irritato praesentibus, acidum sulphuricum alcoholisatnm, aqua mixtum et saccharo edulcoratum, cum fructu propinavi.

*) Ratio medendi. T. II. p. 129.

Convalescentibus decoctum menyanthis trifoliatae profuit. Ita maxima pars aegrotorum, spatio decem dierum, sanitati restituta fuit. Apud nonnullos tamen febris, ab initio evidenter gastrica, tardius in typhum transibat. Ex his aegrotis unus, miles, periit. Commemoratione vero inprimis digna est sequens observatio, cuius mense Januario in clinico instituto faciendae opportunitas mihi oblata est.

Observatio. Femina viginti octo annorum, duodecim prolium mater, valetudinaria, postquam die 13 Januarii cibos non satis coctos tempore prandii comederat, ac grave animi pathema ob rixas domesticas perpessa fuerat, statim febre vehementi correpta est. Vetularum suasu atque auctoritate aegra plurima remedia, inprimis drastica, assumsit, unde alvus cum augmento febris movebatur. Deportata die 19 ejusdem mensis ad clinicum institutum sequentia adnotata fuere. Cephalaea praesertim ad regionem supraorbitalem, genae rubrae in medio, versus nasum vero et mentum pallescentes; lingua sicca, spurca; ructus frequentes nidorosi, conatus vomendi, sitis magna, anxietas, jactatio, dolor epigastrii, abdomen molle, ab attactu parum dolens; pulsus 130, debiles; calorque cutis urens. Scrupulus radicis cephaelidis ipecacuanhae porrectus: quo sumto vomitus materiae biliosae secutus est. *Die* 20. *Januarii*: lingua minus sicca et spurca, sitis moderata, dolor epigastrii evanuit, pulsus 120, paululum debiliores; cephalaea eadem; oculi lachrymis innatantes, inquietudo, alvus octies mota. ℞. Aquae menthae pi-

peritae uncias quatuor, mucilaginis gummi mimosae niloticae drachmas duas, syrupi papaveris somniferi unciam unam. M. Capiat omni bihorio unciam unam. *Die* 21ma. Heri vespere aegra perbelle valebat, hodie vero, postquam bis frigoris insultum perpessa fuerat, adspectus ejus luridus est, summaque inquietudo eam vexat: alvum bis tantum deposuit, pulsus 120 exiles. ℞. Aquae florum matricariae chamomillae uncias quinque, tincturae castorei, succinatis ammoniae liquidi (s. spiritus cornu cervi succinati) ãã scrupulos duos. M. D. S. omni hora unciam dimidiam capiat. Ad vesperam omnia in pejus, vesicatoria ac aether sulphuricus frustra in auxilium ducuntur, nam aegra noctu moritur.

Sectio cadaveris. Explorata externa superficie cadaveris, regio lumbaris livida inveniebatur. Crines ubicunque minima adhibita vi secedebant. Ventriculus aëre distentus, ac ad partem inferiorem paululum ruber. Materies in eo contenta analysi chemicae subjecta, nil memorabile obtulit. Intestinum ileon ruborem duobusque in locis introsusceptiones exhibuit. Cetera praeternaturale nihil exhibebant.

Epicrisis. En casum, qui et post peractam cadaveris sectionem multum dubii relinquit. Magna certe suspicio de veneno assumto adfuit, ast cum analysis chemica materiarum, partim in ventriculo, partim in intestinis inventarum, tum inquisitiones, quae in domo aegrae institutae sunt, hoc dubium fere diluerunt. Rubor ventriculi et intestini ilei gastritidis et enteritidis initium adfuisse testari viden-

tur. Quod si verum fuisset, emeticum propinatum mortis certissimae caussa extitisset. At historia morbi luculentissime evincit, aegrotam post vomitum longe melius sese habuisse doloremque epigastrii penitus evanuisse. Alvi profluvium, quod aderat, genuinae enteritidis praesentiam omnino excludit. Praeterea nec abdomen multum dolebat, nec singultus aegrotam vexabat. Quare omnibus rite perpensis, morbum ab initio febrem gastricam fuisse, sed quum per sex dies neglectus, imo male pertractatus esset, in nervosam transiisse, censeo. Ruborem ventriculi et intestini ilei, probabile est, ex usu drasticorum originem traxisse suam. Neque tamen et similia sub finem febrium gastricarum et nervosarum evenire, medicos latet exercitatos.

Caput IV.

Febres intermittentes.

Quamquam febres intermittentes Vilnae raro occurrere solent, tamen hoc anno multae earum observatae sunt, quippe quae mensibus praesertim Aprili et Maio partim a militibus adportabantur, partim inter vulneratos in ipsis nosocomiis progignebantur. Nec nosocomium militare, in monasterio ordinis missionis apertum, licet altiori siccoque in loco exstructum, referente Clarissimo professore *Lobenwein* a febrium intermittentium invasione liberum mansit. Febres hujusmodi ab initio larvam febrium continuarum prae se ferebant, ac veras *subcontinuas* sistebant: typus tamen earum magis consuetus ille febris tertianae cum simplicis, tum duplicis, nec non quotidianae observabatur. Maximam febrium intermittentium partem quamquam cortex cinchonae officinalis, inprimis muriati ammoniae nuptus, fugabat, tamen haud raro nimis cito exhibitus, haud bene ab aegrotantibus perferrebatur. Etenim apud plurimos febricitantes gastrici quid latebat. Quamobrem saepe cum emetica, tum

purgantia, corticis usui non sine magna utilitate praemisimus. Quamvis enim in universum a veritate non alienum sit, febres intermittentes posse a primo initio cortice sine damno curari; tamen natura morbi peculiaris aliquando aliam medendi viam ingredi medicum jubet, id, quod hoc ipso anno pluries experti sumus. Neglecta enim, quae indicata erat, primarum viarum evacuatione, febris intermittens in continuam abibat, anxietate, praecordiorum tensione, epistaxi, siti, lingua arida, pulsu vibrante, et colore cutis flavo stipatam. Haec rerum conditio ubi aderat, sepositis tonicis, ad nitratem potassae, mel acetatum, pulpam tamarindi indicae, limonadam, aliaque similia remedia confugiebatur. Ast symptomata allata, et dum alvi evacuatio in febribus intermittentibus non negligitur, oriri posse, experientia edocti scimus. Vidimus enim ea in scorbuticis, qui febribus intermittentibus, in continuas conversis, afficiebantur. Imo hoc ipso anno militem ex tali complicatione amisimus; superveniente adhuc, ne quid mali deesset, dysenterico fluxu cum symptomatibus enteritidis.

Caput V.

Scarlatina.

Scarlatina, quae, uti monuimus *), raro Vilnae grassatur ac referentibus aliis medicis, nunquam hic maligna fuit, hoc ipso anno mitissimam indolem suam cum perniciosa commutasse maximopere visa est. Comparuit enim exanthema hoc mense Novembri 1806, et usque ad mensem Aprilem 1807 epidemico modo saeviit. Morbus, de quo agitur, praesertim mensibus Decembri et Januario, perniciosus fuit. Plurimi enim aegri suffocatione abrepti perierunt, quod gangraenae faucium tribuebatur, quam vero, hac in epidemia, mihi observare nunquam licuit. Non nisi felici igitur casui tribuere possum, quod nullum aegrum, scarlatina hac sub epidemia laborantem, amiserim. Methodo vero simplicissima, et, ab initio saltem morbi, antiphlogistica usus sum. Soporem fauciumque affectionem, quae aliquando deglutitionem prorsus impediebat, non

*) Acta instituti clinici etc. An. 1. p. 25.

vesicatoriis, sed hirudinibus aggressus sum. Egregio successu localis haec sanguinis detractio, circa collum suscepta, in puella duodecim annorum fuit, quam in clinico instituto curandam suscepi. Praeter soporem et diarrhoeam aphthae molestae erant, quae totum hujus aegrotae oris cavum obsidebant. Peracta sanguinis detractione, cataplasma ex mica panis et lacte collo appositum est. Diarrhoeam, utpote vires non exhaurientem, nequaquam cohibere volui. In omnibus omnino aegrotis, qui scarlatina hac laborabant, maximum ac praesentissimum auxilium ex nitrate potassae obtinui. In vehementiori morbo nonnisi serius, et devicto prius inflammatorio impetu ad methodum diapnoicam confugi, et ni fallor, vulgus medicorum nostra aetate vehementer errat, quod hanc methodum nimis mature cum contra scarlatinam, tum contra alios morbos exanthematicos in usum vocare solet *). Nec satis tyrones in arte nostra hortari possum, ne farragine remediorum aegrotulos, scarlatina laborantes, obruant. Ad nobilissimum aeque ac ingenio plenum puerum, octo annos natum, initio mensis Decembris vocatus sum. In propinqua domo, eo ipso tempore, duo infantes a scarlatina trucidati erant. Aeger, de quo sermo est, prima morbi die matutinis horis vehementi febre et cum virium prostratione correptus erat. Vespere ejusdem diei, scarlatina jam comparuit. Vaniloquia noctem sequentem turbarunt. Cutis calor urens erat.

*) Comparare juvabit has observationes cum iis, quas nuper publici iuris fecit Cl. *Stieglitzius*, quibus cum omnino conveniunt. (l. c.)

Aegro nitratem potassae cum aqua et syrupo rubi idaei propinavi. De vehementia sua morbus statim adeo remisit, ut exanthema reliqua stadia lenissime percurreret. Idem in juvene sedecim annorum, in clinico instituto gravi scarlatina decumbente, evenit.

Variae autem anomaliae in scarlatinae nostrae epidemia observatae fuere. Cl. Professor *Lobenwein* scarlatinae apyrecticae exemplum conspexit, ubi exanthema, per unicam tantum diem florens, sine praegressa desquamatione evanuit. Hydrops anasarca secutus est, sub cujus demum decursu desquamatio locum habuit. Cl. Doctor *Heymann* scarlatinam vidit, ubi magna deglutiendi difficultas, sine conspicuo faucium rubore, aderat. Inprimis vero observatio commemoratione digna est, quam Cl. Professor *Sniadecki* cum Societate nostra medica mense Januario communicavit. Puer scarlatina primum affectus, probabiliter post frigus admissum, in hydropem cum pectoris tum abdominis incidit. Quo quidem morbo per opportuna remedia fere debellato, peripneumonia suffocationem minitans irruebat. Quum nihil adesset, quod venae sectionem suaderet, et res aegroti conclamata videretur, Cl. *Sniadecki* quavis hora granum unum muriatis hydrargyri, et extracti hyoscyami nigri exhibuit. Quod tam egregio cum successu factum est, ut aegrotus intra duodecim horas convalescendi spem praeberet. Eandem medendi methodum sub eadem rerum conditione in duobus aliis aegrotantibus aeque feliciter

adhibuit. Idem medicus versus finem scarlatinae bis parotides in suppurationem abeuntes conspexit. Denique haud superfluum erit monere, omnes, qui scarlatina hoc anno correpti decubuerunt, sanitatem fere recuperasse suam.

Caput VI.

Hydrops anasarca.

Observatio. Puer, epochae pubertatis proximus, die 22 Novembris, hydrope anasarca adfectus ad clinicum institutum perfertur. Scarlatinam duas ante hebdomadas perpessus erat. Praeter oedema, corpus totum, si scrotum exceperis, occupans, pupilla dilatata, et pulsus lentus (46 enim pulsationes in minuto primo exhibebat) in conspectum venerunt. Respiratio erat laboriosa, praesertim decumbente aegro in latus sinistrum. Tussiebat porro, nec tamen multum rejiciebat sputi. Urina sat multa, colore potum e fabis Coffeae tostis paratum referens, et deiiciens copiosum sedimentum nigricans. Varia remedia sine fructu adhibita fuere, v. gr. oxytartritis potassae, cum nitrate potassae et herba digitalis purpureae. Verum sub usu sequentium remediorum illico convaluit aeger, restituto urinarum fluxu et transpiratione cutanea. ℞. Decocti baccarum

juniperi communis uncias decem: Nitratis potassae drachmas duas: mellis acetati unciam unam. M. Cap. omni bihorio uncias duas. R. Unguenti oxydi hydrargyri cinerei unciam dimidiam, pulveris herbae digitalis purpureae drachmam unam. M. Illiniatur abdomini bis de die ad magnitudinem nucis avellanae. Aeger spatio duarum hebdomadum, praeter debilitatem, nil morbosi exhibebat. Vires ope tincturae malatis ferri, et victu nutriente, restitutae fuere. Puer, omnino sanus, die 22 Decembri clinico instituto valedixit.

Epicrisis. Pupillae dilatatio pulsuumque lentor, serosam colluviem in ipsa cranii cavitate collectam indicare videntur. Hydrocephali post scarlatinam exemplum memorabile in virgine viginti circiter annorum, in nosodochio vindobonensi observavi. Superata nempe scarlatina, vehemens cephalaea aegram pessime habuit. Pupilla praeter modum dilatata erat, et vix aut ne vix quidem a luce vividissima ad contractionem disponebatur; aderat quoque visus obnubilatio. Pulsus 40. Urina pauca. Applicato vesicatorio ad nucham, muriatem hydrargyri cum foliis digitalis purpureae exhibui. Pro potu aegra infuso florum arnicae montanae utebatur. His medicamentis spatio mensis, sub largo urinarum profluvio, quin ptyalismum experiretur, omnino sanata est.

Caput VII.

Morbilli.

Morbilli, qui jam mense Maio anni superioris regnare coeperunt*), per hunc annum nunquam penitus extincti fuere. Praecipue vero mense Februario late quidem Vilnae grassati sunt, sed optimae indolis. Tanta enim erat eo tempore hujus morbi benignitas in orphanotropheo, quod dicunt, infantum Jesu, ut testante illius domus medico ordinario, Cl. Professore *Matusewiez*, pharmaca ad eum sanandum vix ac ne vix quidem requirerentur. Quamobrem unicum tantum morbillorum exemplar medicis iuvenibus, clinicum institutum frequentantibus, obtuli. Erat vero gravioris indolis, ac larga epistaxi, subsultibus tendinum, pulsuque inconstanti insignitum. Pectus autem haud graviter adficiebatur. Quamobrem venaesectionem superfluam fore iudicavi eo magis, quo minus a pulsu aliisque symptomatibus urgere-

*) Act. Inst. Clinici. Annus primus. Cap. VI.

ur. Aegrota, de qua sermo est, puella sci-
cet decimum septimum annum agens, quin-
i morbi die ad clinicum institutum depor-
ita erat. Emulsionem amygdalinam cum
itrate potassae adhibui, cujus remedii sub
su exanthema perfecte stadia sua absolvit.
convalescenti vero tussis convulsiva super-
enit, pulvere foliorum atropae belladonae
igata.

Caput VIII.

Rheumatismus acutus.

Rheumatismi acuti duo exempla, in instituto nostro pertractata, nihil memoratu dignum exhibent. Ab initio morbi sanguinem e vena duxi, quam operationem urgente necessitate in aliis bis terve repetere soleo. Simul vero nitratem potassae larga manu exhibui, quod remedium rheumatismo acuto, prae aliis morbis inflammatoriis, experientia usus sat ampla, appropriatum iudico. Potenter enim nitras potassae in hoc morbo urinam movet, quod nunquam sine aegri levamine fieri solet. Sedato in nostris aegrotis impetu morbi inflammatorio, ad ea, quae transpirationis opus promovent, confugi, et quidem ad solam tartritem potassae et antimonii, multa aqua destillata dilutam. Nec poenituit aliquando vomitum aut alvum ab hoc remedio motam vidisse: aegri enim longe melius sese habebant. Cessantibus maxima ex parte motibus febrilibus, decoctum baccarum juniperi communis salutares prodidit effectus.

Diagnosis rheumatismi acuti quamquam
lliis in regionibus nulla difficultate premitur,
amen haud aeque facilis est apud nos. Peri-
ulum enim fuit, ne hic morbus cum *plica* sic
licta *polonica* confunderetur. Nam equidem
ingula symptomata rheumatismi acuti evolu-
ioni hujus morbi praegressa esse aliquoties ob-
ervavi. Sudores autem hoc in casu abunde
manantes facile morbi indolem indicant, quip-
e qui peculiari et specifico foetore, aegrotis
t adstantibus valde molesto, praediti esse so-
ent. Praeterea in plica polonica sudores prae-
ipue in capite erumpere videntur.

Caput IX.

Glossitis. Cynanche faucium.

Glossitidis exemplum in milite obvenerat, qui, magnopere aestuante corpore, refrigerio sese exposuerat. Febris, hunc morbum concomitans, rheumaticae erat indolis. Quum illius vis usum venaesectionis, alias hac in inflammatione summopere necessariae, expostulare haud videretur, tantummodo hirudines duodecim circa collum applicari jussi. Simul cataplasma emolliens ad hunc ipsum locum adhibebatur. Fracta inflammationis vehementia, vesicatorio, cinguli instar collum circumdabatur, unde omnis morbosa linguae adfectio penitus tollebatur. Alvus clysteribus salinis aperta tenebatur. Restituta deglutitione, lenia diapnoica quoque adhibita fuere.

Scarificationibus linguae in glossitide non favemus, licet ab egregio in arte viro *) com-

*) *Richter's* chirurgische Bibliothek. 3 B. p. 34. (Hujus exemplum secuti Exper. *Naumburg* (von

ndatis. Observationi nempe *Riverii* *), hac ex causa paralysin linguae adnotavit, am, quam ipsi fecimus, quamquam alius ge- is, addere possum. Vir, quatuor et quin- iginta annos natus, habitum corporis scor- ticum referens, anno 1796 mense Septem- in nosodochio vindobonensi gravi typho entus jacuerat. Superveniente glossitide, citissime in gangraenam abeunte, cauta ma- scarificationes linguae in auxilium vocatae re. Ast magna nec ullis reniediis coercen- oris haemorrhagia brevi post aegroti vitae em posuit.

Cum de glossitide verba facio, semper ex- pli recordor, quod, nisi egregie fallor, aut id auctores consignatum plane non reperitur, certe rarissimum est *), scilicet linguae, praegressa inflammatione, ope pseudomem- nae, cum interna oris cavitate variis locis cretae. Tale scilicet exemplum in museo nteri Londini conspexi. Memorabilis certe sitidis exitus, magnam similitudinem cum cretionibus pulmonum cum pleura, cordis n pericardio, variorumque abdominis visce-

der Beinkrümmung. Anh. n. 7.) et *Stöller* (in *Lo- der's* Journ. f. Chirurg. etc. B. 1. p. 599.) incisio- nes adhibuere felici cum successu).

Praxis medica lib. V.

) Memini talis exempli, a *Capdevillio* in Memoir. de l'acad. roy. de chirurg. to. V commemorati, ubi linguae partim inferior superficies, partim margines cum maxilla concreti deprehendebantur.

rum cum partibus proxime adiacentibus p
praegressam inflammationem post peripn
monias referens. Septem exempla cynanc
faucium, quorum mentio in tabulis, de aeg
rum numero et ratione consignatis, facta
silentio praeterimus, quippe quae nihil mer
ratu dignum obtulerunt.

Caput X.

Peripneumonia.

eripneumoniae sporadice tantum, et qui-
n sat raro, hyeme elapsa Vilnae obvene-
t, vix non semper indolis sthenicae et rheu-
ticae.

Observatio I. Vir athleticus, figulus, 28
nos natus, die 5 Februarii sine praegresso hor-
e a peripneumonia corripitur. Quarta
rbi die ad clinicum institutum translatus,
eter consueta memorati morbi symptoma-
le cordis magna palpitatione, cum vibrati-
e insigni carotidum, praesertim dextri late-
conquerebatur corpusque perpetuo hinc
e iactitabat. Loquela difficilis et quasi in-
secta; pulsus mollis, plenus 122; dolor
gnus in regione hepatis et sub mammia si-
ra. Venae sectione unciae quindecim san-
nis detrahebantur atque decoctum hordei
n nitrate potassae et melle acetato porrige-
ur. *Die morbi quinta.* Cruor crusta in-

flammatoria coopertus. Symptomata omni imminuta, pulsus 73; dolor vero in regio hepatis continuat, ille sub mamma fere ev nuit. Pergat cum decocto; applicentur c curbitulae cruentae loco dol nti, et habe aegrotus mixturam mucilaginoso - oleosa *Die sexta.* Melius se habet; sudor univers lis. *Die septima.* Urina cum sedimento p riformi copioso, rosei coloris, aeger con lescit.

Epicrisis. Quanta sit virtus largae vena sectionis, primis peripneumoniae diebus a dacter susceptae, haec observatio, modo ha res confirmatione adhuc indigeret, probar Cordis palpitatio, carotidum vibratio, jactat et dolor sub mamma sinistra, suspicionem inflammatione pericardii, vel ipsius adeo cc dis movere possunt. Haec enim inflammat si ex reliquiis illius de ejus olim praesentia dicium feratur, longe frequentius, quam v go creditur, occurrere videtur. Hydrops p ricardii purulentus, concretiones, internam h jus sacci superficiem aut totam, aut maiore minoremve ejus partem cum cordis externa i time copulantes, corda sic dicta villosa, incr samenta pericardii, aliaque multa, quae qu tidie ex cadaverum sectionibus apparent, praegressa inflammatione harum partium stantur, cuius suspicionem medicis nullum sy ptoma luculentum iniecit. — Quanta por sit cucurbitularum cruentarum vis ad auferc dum dolorem, post venae sectionem in pe pneumonia superstitem, ex hac ipsa morbi storia luculentissime apparet. Est vero communis dolor iste hepatis in peripneumon

vel saltem tensio hypochondrii dextri molesta, attactum aegre ferens. Egregiam plane hujus phaenomeni rationem, ex anatome desumtam, reddit Celeberrimus auctor *epitomes de curandis hominum morbis* *). Ponit nempe eam in plethoram abdominalem, ex impedito circulo sanguinis per pulmones ortam. Ac veram esse hanc explicandi rationem e cadaverum sectione comperi. Etenim in iis, qui ex peripneumonia perierunt, maximam circa hepar collectam sanguinis copiam sat constanter conspexi. Hac ipsa ex plethora abdominali diarrhoeam in peripneumoniis, quae saepius venae sectione tollitur, idem auctor haud immerito derivare videtur.

Denique haec ipsa peripneumoniae historia memorabile quid continet, quod silentio haud praetereundum est. Incepit nempe morbus, de quo agitur, *sine praegresso horrore*, cum tamen omnino inflammatorius esset. Circumscribendum igitur est *Baglivii* effatum: „Peripneumonia, quae cum rigore incipit, pro „*vera*, sanguinisque evacuationem postulante „habetur. Quae vero peripneumoniae sine „rigore incipiunt, hae pro *spuriis* consideran„tur, *et haud* venae sectionibus pertractan„tur.“ Quamquam multum veri hac in sententia contineri non inficior.

Observatio II. Puella sedecim annorum, gracili corporis habitu praedita, a novem tantum mensibus menstruo fluxui obnoxia ante annum catarrho laboravit diuturno, qui evanuit remanente corporis emaciatione. Mense Ja-

*) Vol. II. De peripneumonia.

nuario versus finem vergente, quum sese contagio morbillorum exposuisset, in hunc morbum paullo post incidit. Quo quidem feliciter superato, tempore convalescentiae post admissum vehemens refrigerium, a gravi peripneumonia correpta est. Octava huius morbi die, ad clinicum delata institutum de sensu ponderis in pectore atque respiratione difficili conquerebatur, tussis vero ingens et sicca quasi convulsiva ita continuo urgebat, ut misera non nisi verba interrupta proferre posset. Facies erat quammaxime rubra, oculi splendentes, calor cutis, licet auctus, tamen non ingratus, pulsus 145, contractus, totumque corpus sudoris guttulis, tanquam rore, coopertum. Venae sectio unciarum octo, et decoctum ex radice althaeae officinalis et nitrate potassae praescribebantur. *Die nona morbi.* Post venae sectionem tussis evanuit quidem, recruduit tamen iterum post quatuor horas; facies minus rubet, pulsus 115, calor sanus, sputa multa puriformia, sanguis e vena ductus denso corio obtectus. ℞. Seminum hyoscyami nigri grana quindecim, seminum amygdali communis unciam dimidiam, gummi mimosae niloticae drachmas tres, sacchari drachmas duas, tere et affunde aquae simplicis q. s. ut fiat emulsio ad colaturam librae unius: capiat omni hora unciam unam. Vesicatorium impositum pectori. *Die decima.* Dormivit noctu, pulsus 80, mollis, respiratio libera, tussis minor et humida, urina panca, sedimentum puriforme deponens; omnium artuum dolores, sed dolor praecipuus ad cubitum dextrum, motum brachii impediens. Continuatio medicamentorum praescri-

ptorum imperabatur. *Die undecima.* Morbus formam rheumatismi acuti subibat, pectus, praeter palpitationem cordis, et aliquam tussim, liberum. Urina admodum parca. ℞. Decocti radicis ononidis spinosae libram unam, nitratis potassae drachmam unam cum dimidia, syrupi simplicis unciam unam. *Die decima septima.* Ad hanc usque diem nulla rerum mutatio conspicua erat, nunc vero omnia in melius vergebant sub largo urinarum fluxu. Continuatur eiusdem medicamenti usus. *Die decima nona.* Praeter debilitatem et aliquam tussim, nil morbosi. Habeat decoctum lichenis islandici aegra, quo cum per plures hebdomadas, addita tinctura digitalis purpureae, usa esset, sanitati penitus restituta nosocomium reliquit.

Epicrisis. Gracilis huius aegrae corporis constitutio, catarrhus diuturnus praegressus, pulsuum et tussis ratio, de asthenica, quam dicunt, morbi natura testari videbantur: verum multiplici experientia edoctus, peripneumonias, quae morbillos excipiunt, utplurimum inflammatorias esse, de morbi natura aliter judicavi. Venae sectionem nempe indicatam fuisse, ex effectu illius salubri apparet, licet eam ad omnem curationem absolvendam nequaquam suffecisse, lubens concedo. Urinae exigua hoc in morbo copia ac sedimentum, quod deiiciebatur, puriforme suspicionem de imminente hydrothorace moverunt. Certissime enim persuasus sum, hydrothoracem, non solum peripneumoniarum *exitum* offerre, sed et *comitem* earum haud rarum esse. Quae

quidem animadversio mihi maximi videtur in artis medicae exercitio esse momenti. Illud autem connubium peripneumoniae cum hydrothorace inprimis apud puellas, chlorotico habitu deformes, locum habet, quamquam etiam, licet rarius, apud alios occurrere solet. Urinae parca quantitas, ac sedimentum puriforme sive lateritium, quod in illa conspicitur, connubium hujusmodi praesagire solent. Porro gravior respirandi difficultas, quam quae ex febre, et ceteris peripneumoniae symptomatibus expectari potest, praesentiam seri, in pectore latitantis, magis magisque confirmat. Probat vero eam potissimum, ne de evidentioribus hydrothoracis symptomatibus loquar, facies tumidiuscula, extremitatum superiorum, sudore viscido coopertarum, frigus, pulsus parvus et omnino irregularis, dolor regionis epigastricae, anxietas, inprimis horis nocturnis, nec non alia symptomata, quae medici minus experti saepe hysteriae tribuunt. Aegroti vero hujusmodi interdum praeter opinionem nec sine medici ignominia suffocati pereunt. Cadaveribus eorum apertis, serum non solum in thoracis cavitate, sed etiam aliquando in ipso pulmonum parenchymate reperitur. Aliquoties mihi hoc pulmonum oedema obvenit, mortis improvisae caussa. Substantiam pulmonum adeo sero repletam conspexi, ut illud inde velut e spongia aqua imbuta exprimi posset. Nostrae aegrae decoctum radicis ononidis spinosae cum nitrate potassae, urinae profluvium augendo, quammaxime profuit. Eundem effectum saepius ab hisce remediis, non invicem coniunctis, sed singulatim exhibitis,

eadem sub rerum conditione observavi. Neque vero virtus radicum asparagi officinalis et apii petroselini ejusmodi in casu spernenda. Raro autem digitalem purpuream hac in specie hydropis pectoris efficacem reperi, quod et de squilla maritima, quae statui febrili vix accommodata esse solet, dicendum est. Haud vero aeque feliciter milites peripneumoniis affectos, ac paganos pertractavimus. Horum nullum, illorum autem quatuor amisimus, quorum tres, cum iam, morbo admodum provecto, suffocatio instaret, ad nosocomium pervenerunt, ac post paucos dies animam efflarunt. Quarti, ex peripneumonia demortui, historia peculiari commemoratione digna esse videtur.

Observatio III. Die 30 Aprilis juvenis miles ad clinicum institutum delatus est: tertia die aegrotabat. Praeter febrem, de respirationis difficultate magna et tussi cum pectoris dolore querebatur. Pulsus erat vibrans quidem et valde frequens, sed inconstans. Decoctum hordei cum nitrate potassae et melle acetato praescriptum est. Die prima Maii: febris multum imminuta, peripneumoniae symptomata eadem; alvus quater mota. Decoctum radicis althaeae officinalis cum nitrate potassae. Die secunda sine febre; peripneumoniae symptomata fere evanuerunt. Tertia nova febris: quarta ad frontem erysipelas, ad palpebram usque dextram sese extendens apparuit, in medio tumorem elevatum jam fluctuantem exhibens. Decoctum Althaeae cum liquore acetatis ammoniae praescribebatur. Die

quinta erysipelas et tumor fere evanuerunt; respiratio denuo difficilis, cum pectoris dolore. Mixtura camphorata, cum granis tribus oxydi antimonii sulphurāti hydrogenati aurantiaci. Vesicatorium ad pectus. Die sexta erysipelas et tumor ad frontem aucti; respiratio longe liberior, oculi lacrymantes et dolentes. Repetitur eadem medicina. Die septima status idem. Abscessus ad frontem rupturae proximus; applicatur cataplasma. Prior medicina. Diebus octava et nona nulla mutatio. Decima oedema palpebram dextram occupat, febris magna, peripneumonia recrudescit. Aperitur tumor cultro. Undecima: magna ichoris copia ex abscessu exiit, aeger deliravit, status erysipelatis idem, facies sudore cooperta et palpebra sinistra oedematosa. Ejusdem remedii usus continuatur. Die duodecima abscessus multum ichoris largitur, pulsus irregularis, minimus, aeger urinam et alvum inscie deponit, delirium continuat. Decima tertia die ad tempus dextrum cutis, erysipelate prehensa, plurimis in locis perforata deprehenditur. Ex ulceribus hujusmodi sanies funditur. Et per reliquam faciei partem erysipelas lividi coloris serpit: decubitus gangraenosus ad nates. Decima quarta gangraena fere totam partem dextram faciei occupat. Universa cutis furunculis maximis, innumeris, quasi anthracibus, maculisque nigris cooperta: aeger soporosus. Acida mineralia et cortex in usum trahebantur incassum, nam die decima quinta mensis, decima octava morbi, aeger sub continua membrorum iactatione periit.

Epicrisis. Erysipelas faciei, cum peripneumonia, haud dubie etiam erysipelatosae indolis, alternans, jam aliquoties conspexi. Nunquam vero morbus tanta malignitate, quam praesente in aegro, conspicuus fuit. Inprimis furunculi, totam fere cutim occupantes ac in gangraenam proni, animi attentione digni videntur. Quamvis enim centies et ultra furunculos sub decursu febrium malignarum, et post eas observaverim, tamen fateor, me nunquam tale quid, quod nostro in aegro observare licuit, vidisse. Quamobrem furunculos hujusmodi formam *Pemphigi maligni* praebuisse, non a veri similitudine alienum esse credo, quamvis perfectas bullulas haud referrent, sed potius cum *pemphigo* sic dicto *variolode* vel cum ipis anthracibus similitudinem alerent. Terribilem vero adspectum abscessus gangraenosus, tempus dextrum occupans, et undique saniem fundens, nec non reliqua faciei pars erysipelate livido detenta offerebant.

Caput XI.

Phthisis trachealis et pulmonalis.

Inter morbos dirissimos aeque ac crudelissimos, quibus genus humanum cruciatur, phthisis trachealis sive laryngea non ultimum locum occupare mihi videtur. Equidem enim nullum aegrotum majori miseratione dignum iudico, quam illum, qui ex hoc morbo perit. Non raro in nosocomio Vindobonensi tales aegrotos observavi. Attamen phthisin trachealem, si incolarum numeri rationem habueris, Vilnae frequentius, quam Viennae, occurrere opinor, et, quod ubique locorum observavi, fere solum apud mares. Vix enim recordor feminae phthisi tracheali laborantis. Sequentes observationes, hoc anno in clinico instituto factae, memoratu non indignae mihi videntur.

Observatio I. Faber murarius, triginta annos natus, ex aqua frigida, aestuante corpore hausta, dolorem faucium, cum deglutitione impedita nec non raucedine expertus est. Accedebat tussicula cum sensu latentis corporis

peregrini in larynge. Symptomata in dies augebantur, donec post annum (die scilicet 23 Novembris 1806) clinicum institutum adiret. Corpus emaciatum, respiratio sibilans, vox fere extincta, tussis frequens, cum sputis copiosis mucosis, ad fundum vasis frustula puris deponentibus; deglutitio inprimis liquidorum impedita, dolorifica, tussimque mox excitans; tumor et durities ad laryngem, quae pars ab attactu paulo rudiori dolebat; glandulae submaxillares utriusque lateris tumefactae, fauces earum rubentes, ulcus venereum ad labium inferius, etsi nunquam similia in genitalibus serpessus sit, febris denique hectica. Murias hydrargyri cum extracto atropae belladonnae, dein frictiones mercuriales et lichen islandicus nec non vesicatorium ad guttur, in auxilium vocata fuere. Sed cum ab hydrargyro ptyalismus, cum augmento omnium symptomatum, excitaretur, ab hoc medicamento abstinere debebamus. Etiam vesicatorium noxios magis quam salutares produxit effectus. Vapores ex aqua et aceto, denique linctus ex mucilagine gummi mimosae niloticae, et syrupo radicis Althaeae officinalis, sola levamen attulerunt. Quam ob rem aeger, quem taeduit curationis primis longae, domum die trigesima Decembris petiit.

Observatio II. Vir triginta quatuor annorum, gracili corporis constitutione, haemorrhoidibus obnoxius, ac Veneri et Baccho deditus, postquam lue venerea aliquoties affectus fuerat, contra quam magnam mercurii vim adhibuit, die vigesima Januarii ad clinicum in-

stitutum deportatus est. Narrabat aeger, se ante sex menses, a suscepto refrigerio, in raucedinem et catarrhum incidisse. Corpus nunc magnopere extenuatum, vox rauca et sibilans, tussis frequens, cum sensu doloris in larynge, sputa copiosa spumosa, frustulis puriformibus, nec non aliquando sanguine intermixta. Deglutitio admodum difficilis; etenim aeger sola pulmenta, eaque non nisi fortiori nisu usus deglutire potest, et vix iis assumtis, a tussi suffocationem minitante vomitumque excitante corripitur. Saepe aegroto videtur cibus nequaquam ad ventriculum descendere, sed in ipso oesophago remoram facere. Larynx valde prominens, et tumidus. Febris hectica, sudoribus diffusissimis stipata. Dolores osteocopi nocturni. Decocto lichenis islandici, et smilacis sarsaparillae, potu coffeano ex glandibus quercinis tostis, gelatina ex lichene et rasura cornu cervi, et similibus medicamentis non omnino sine utilitate usus est. Gargarisma ex herba malvae sylvestris et hyoscyami nigri, nec non vapores ex aqua et aceto cum levamine adhibebantur. Cortex daphnes mezerei ad latera laryngis appositus auxit potius dolores, quam levavit. Contrarius effectus de cataplasmate ex mica panis et lacte, ipsi gutturi apposito, praedicandus est. Unguentum oxydi hydrargyri nigri, unguento althaeae nuptum, addita camphorae portione, per paucos dies collo illinitum, paulo post iterum sepositum fuit, quum symptomata augeri viderentur. Vires autem aegri quotidie imminuebantur, donec emaciato omnino corpore, et accedente stertore cum sibilo in larynge, vitae misserimae

die 19 Februarii finis imponeretur. Paucis ante mortem diebus praecipue de torpore brachii sinistri conquerebatur.

Sectio Cadaveris. Dissectis colli integumentis, glandula thyreoidea flavescens, et ½ solito minor comparuit. Superficies laryngis, cujus volumen maximum erat, sana. Et pharyngis hiatus ob magnitudinem abnormis. Ulcus vero, pollicis fere magnitudine, communicationem inter pharyngem et laryngem efficiebat. Pars posterior cartilaginis cricoideae a carie ita exesa erat, ut margines ex utraque parte dehiscentes in pharyngem prominerent. Pulmones tuberculis referti, in lobis superioribus abscessus exhibebant. Glandulae bronchiales sanae. Idem quoque de vertebris colli locum habebat.

Epicrisis. Mercurius utrique aegroto cum detrimento exhibitus fuit, id quod constanter in phthisi tracheali jam multum provecta observavi. Primo in casu hoc remedium minus recte indicatum videbatur, quum aeger infectionem veneream certe in partibus pudendis negaret. Sed quum ulcus illud labii inferioris aperte characterem syphiliticum exhiberet; saltem periculum cum mercurio instituendum esse existimavi. Eo ipso tempore, quo aegri, quorum historiam modo tradidi, in instituto clinico decumbebant, vir, phthisi tracheali venerea recenti laborans, in clinico sic dicto *ambulatorio* a nobis pertractatus et sanitati restitutus est. Quae quidem medela muriati superoxygenati mercurii debetur. In debilioribus aegrotis simili cum successu frictiones ex unguento oxydi hydrargyri nigri aliquando ad-

hibui. Res autem insolita fuit, aegros, quorum morbos paulo ante descripsi, ab ulceribus artificialibus, ad laryngem excitatis, pejus sese habuisse. Vix enim non semper in aliis aegrotis talia cum symptomatum levamine aperui. Experimentum, quod in phthisi tracheali in nosocomio Vidobonensi instituendum curavi, silentio nequaquam praeterire possum. Vir quidem hoc morbo laborans, cuius tamen corpus nondum ita emaciatum erat, ut mors ex rabe tam propediem expectanda fuisset, suffocationis potius periculum incurrere videbatur: tanta enim erat respirationis cum sibilo absolutae difficultas. Ad vitam protrahendam, et ut angustiis aegroti aliquamdiu saltem consulerem, *laryngotomiam* proposui, quae etiam ab expertissimo illius nosocomii chirurgo *Rudtorfero*, sine ullo incommodo et cum aegri levamine peracta est. Verum quum miser post aliquot hebdomadas animam efflasset, tanta cum invidia contra hanc operationem a vulgo medicorum et chirurgorum pugnatum est, ut parum abesset, quin homicidii perpetrati reus accusarer. Quamobrem neglexi operationem illam in aliis aegrotis repetere. Secto illius aegri cadavere, caries cartilaginis cricoideae et epiglottidis detecta est.

Torpor brachii dextri apud miserum, de quo supra sermo fuit, cariei vertebrarum colli suspicionem excitavit. Recordatus enim sum, me simile quid quamquam alio in morbo, olim vidisse. Vir enim, angina venerea, quam neglexerat, laborans, ad nosocomium Vindobonense delatus est. Ulcus impurum lardaceum posticum faucium parietem obsidebat. Hali-

tus oris praeter modum foetebat. Aeger simul de doloribus osteocopis extremitatum superiorum conquerebatur. Post aliquot hebdomadas torporem et quasi paresin brachii dextri accusabat, et paulo post idem in altero latere expertus est. Procedente tempore usus brachiorum, sicuti in paralysi, ita delebatur, ut miser cibos ori admovere non posset, sed ab infirmariis nutriri deberet. Latentem cariem vertebrarum colli praedixeram, quae etiam cadaveris sectione omnino confirmata est.

Quos in clinico instituto phthisi pulmonali laborantes remediorum praescriptorum usu levavi, militesque, eodem morbo adfectos, quorum sex mortis faucibus eripi haud poterant, silentio praetereo, cum illorum morbi nihil obtulerint, quod commemoratione dignum sit.

Caput XII.

Hydrothorax.

Observatio I. Famulus triginta tres annos natus, a matre ex hydrope demortua originem ducens, vitiis haemorrhoïdalibus obnoxius, postquam jam saepius partim ex frigore aestuanti corpori admisso, partim ex saltatione et cursu nimiis, nec non ex liquorum fermentatorum abusu in varios pulmonum morbos, catarrhos scilicet et pleuritides, inciderat, mense Augusto anni 1806 iterum de valetudine infirma conquerebatur, ac sensim sensimque morbo correptus est, contra quem die 15 Januarii in clinico instituto auxilium quaesivit. Corpus totum leucophlegmaticum; extremitates cum superiores, tum inferiores oedematosae; labia livida; tussis magna, cum sputis suspectis; respiratio difficilis, anhelosa; decubitus horizontalis suffocationem minitans, et in latere non quidem denegatus, sed molestus tamen, praecipue ubi in dextro latere decumbere studebat; cavitas pectoris sinistra, digito, methodo celeb. *Auenbruggeri* et Ill. *Corvi-*

sarti percussa, sonum obtusum edens, clariorem dextra; urina pauca; febris. Declarato morbo pro *phthisi pulmonali cum hydrope cutaneo et pectoris*, nitratem potassae cum decocto hordei distichi et melle acetato, tanto cum fructu usurpavimus, ut aeger spatio paucarum hebdomadum, sub largo urinarum fluxu, omnino ab hydrope restitueretur. Remanens pulmonum labes sub usu seminum phellandrii aquatici quoque in melius conversa erat. Evanuit nempe febris, et praeter tussim de nullo aeger symptomate conquerebatur. Die 23 Februarii clinicum, maxime sublevatus atque sani hominis adspectum prae se ferens, dereliquit.

Observatio II. Quinquagenarius auriga, corporis constitutione torosa praeditus, spiritu vini adusti abutens, die 24 Januarii derepente a pedum oedemate, quod cum anxietate et respirandi difficultate conjunctum erat, correptus est. Rebus citissime in pejus ruentibus, aeger quarta morbi die, quasi suffocaturus, ad clinicum institutum delatus est. Respiratio enim erat frequens, laboriosa, cum sibilo strepente; tussis saepe inanis, alias cum sputis mucosis; labia livida, sopor, universa cutis leucophlegmatica, flavescens; scrotum et crura oedematosa, praecipue pes sinister; abdomen tumidum fluctuationem non exhibens; sub attactu hypochondrii dextri dolor, urina nulla; pulsus plenus, durus, non frequens. Concessa aegroto magis erecta corporis positione, quae ipsi egregie conveniebat, quinque unciae sanguinis educuntur, et oxytartris potassae,

cum nitrate potassae praescribuntur. *Vespere.* Cruor eductus in insulam, multo sero innatantem, concretus, ac corio sic dicto pleuritico, quatuor lineas crasso, obtectus erat. Peracta venae sectione sopor imminutus est. Aeger urinae clarae atque coloris rubri subflavi libras fere tres reddidit. Nunc iterum sopore opprimitur; pulsus 76, plenus, durus. Repetatur venae sectio ad uncias octo. Habeat decoctum hordei cum nitrate potassae et melle acetato. *Die quinta morbi.* Placide noctem transegit; cruor densiori corio obtectus; urina copiosa, clara; levis sudor; respiratio facilior; tussis frequens, cum sputis suspectis; dolor hypochondrii dextri continuat; pulsus sani hominis; sopor evanuit. Nitras potassae cum decocto radicis althaeae officinalis porrigitur. *Die sexta.* Adspectus aegroti cachecticus; urina copiosa; respiratio fere libera; tussis frequens; appetitus ciborum redit; abdominis dolor perstat. ℞. radicis polygalae senegae drachmas tres, coque c. s. q. aquae communis per quadrantem horae, colaturae libras unius adde liquoris acetatis ammoniae unciam unam. Applicetur vesicatorium ad pectus. *Die septimâ* status idem; urina vero parca. Repetatur pristina medicina ex nitrate potassae, et decocto althaeae: alternatim pulveres seminum phellandrii aquatici porriguntur. Sub usu horum remediorum nulla vestigia hydropis post paucos dies supererant. Elapso curriculo hebdomadis aeger praeter moderatam superstitem tussim, clinico bene valens vale dixit.

Epicrisis. Diagnosis hujus morbi multis difficultatibus premebatur. Rheumaticam illius indolem fuisse, et hydropem acutum pectoris, forsan ex peripneumonia, latitasse, suspicatus sum. Refrigeratio corporis apud potatores, nostris potissimum in regionibus, saepe morbos adspectu terribiles et intricatos generat, qui, modo causa innotescit, et vera medendi methodus adhibetur, haud difficulter, primis saltem vicibus, sanari possunt.

Caput XIII.

Ulcus Ventriculi.

Observatio. Vir quinquaginta annos natus, aurigae munere fungens, dum mense Aprili hujus anni, magna adhibita vi, currum elevasset, mox vertigine corripitur, quam illico lipothymia, haematemesis et diarrhoea cruenta secuti sunt. Sanguinis libras fere quatuor tunc amissas esse, aeger autumat. Attamen die demum 20 Junii in clinico *ambulatorio* comparuit auxilium expostulaturus; continuante ad hoc usque tempus diarrhoea cruenta. Decoctum radicis columbo cum aqua destillata corticum lauri cinnamomi, per sex et ultra hebdomadas continuatum, profluvium sanguinis sensim sensimque cum levamine cohibuit. Nihilominus aeger viribus exhaustus continuo de alvi irregularitate, borborygmis, et ructibus conquerebatur. Amaricantia alia incassum praescribebantur, donec aeger die 28 Septembris in ipsum nosocomium clinicum receptus fuerat. Corpus emaciatum, vires dejectae,

facies lurida, colore subflavo suffusa, oculi cavi, buccae et tempora collapsa, labia livida, gingivae pallidae, appetitus quidem bonus, sed a ciborum assumptione mox ingrata abdominis inflatio oriebatur. Abdomen revera tensum, et ab attactu praesertim in hypochondrio dextro et regione epigastrica dolens. Decubitus in latus dextrum molestus et dolorificus. Sub ingressu aegrotus pondus quoddam in regione hepatis persentiscit. Neque tamen dolor ibi, aut torpor extremitatum eodem in latere adsunt. Alvus irregularis. Febris nulla. Variis remediis spatio duorum mensium, quo in clinico decubuit, sine fructu usus est; praesertim muriate hydrargyri, cum radice rhei palmati, et carbonate magnesiae; dein balsamo myroxyli peruiferi seu, ut vulgo nominatur, balsami peruviani et tandem oleosis cum opio, aliisque remediis palliativis. Vires enim in dies magis magisque imminuebantur; supervenientibus vomitu materiei brunneae, regurgitatione, meteorismo, simul cum hydrope ascite, singultu et tabe. Dies 21 Novembris vitae miserrimae finem imposuit.

Sectio cadaveris. Aperto abdomine librae novem, et quod excedit, seri flavi effluxerunt. Hepar emaciatum, decolor, durius, et volumine imminutum, simulque tuberculis paucis refertum. Cystis fellea bile repleta. Superficies inferior lobi sinistri iecinoris cum ventriculo concreta. Resecto ventriculo ad arcum ejusdem minorem, quo loco concretio cum hepate locum habebat suum, ulcus ad pollices quinque longum, ad duos vero latum, quod ad

ipsam jecinoris substantiam profundè penetrabat, in conspectum venit. Ventriculus vero ipse totus materie brunnea repletus erat.

Epicrisis. Prima morbi origo, nec non quaedam symptomata suspicionem ulceris ventriculi, ex varice forsan rupto orti, movebant. Quae quidem suspicio autem absentia febris, sudorum, ardoris sensu post cibos assumtos, et oedemate pedum multum imminuebatur. Plura signa contra ea, id quod historia morbi docet, de hepatis vitio testabantur. Ex sectione cadaveris utrumque adfuisse apparet. Memoratu dignum est, hepatis substantiam solito duriorem, ipsum vero hujus visceris volumen potius *imminutum*, quam auctum fuisse, quod pluriés in aliis quoque visceribus, praesertim in liene, observavi. Quamobrem, obstructiones viscerum non semper cum aucta voluminis mole, locum habere, id quod ab aliis medicis observatum est, hac, quam modo exhibui, morbi historia magis magisque confirmatur.

Caput XIII.

Hepatitis. Obstructio hepatis. Icterus.

Observatio. Aeger gravi *hepatitide* rheumatica affectus, die Februarii et morbi tertia, ad clinicum institutum delatus est. Peractis binis venaesectionibus multum levatus est. Dolor sexta morbi die e regione hepatis ad illam lienis migravit. Flavedo tamen cutis et vomitus nihilominus non imminuebantur. Vesicatorium et unguentum oxydi hydrargyri griseum nec non diapnoica porrecta sunt. Ad convalescentiam ita aeger die morbi decima quinta perductus esse videbatur, quum denuo in pristinum morbum incideret. Contra hunc morbum recidivum similis medendi methodus in usum vocata quidem est, sed, conversa febre in typhum deliriis stipatum, opus fuit, ut ad camphoram confugerem. Iterum convaluit, atque cum propter commutationem clinici instituti in nosocomium militare ad xenodochium sororum misericordiae deferretur, meae curae subtractus est.

Observatio II. Juvenis viginti trium annorum, duodecim abhinc annis ex lapsu in regionem hepatis magnum dolorem et sensum, quasi quid ibi disruptum esset, in hypochondrio dextro persensit. Haemoptysis per septem continuos dies aegrotum male habuit. Decimo sexto vitae anno, cum minus commode iter faceret, saepius epistaxin ad lipothymiam usque perpessus est. Serius in febrem intermittentem, quinque menses perdurantem, et tandem in dysenteriam incidit. Quatuor abhinc mensibus, tumorem durum eumque dolentem in hypochondrio dextro primum observavit, quem oedema crurum excepit. Die quinta Octobris aegrotus, ad clinicum institutum delatus, recipitur. Habitus corporis cachecticus, gingivae bene constitutae, hepatis moles insignis, eaque super ventriculum usque ad lienem pertingens, cartilaginem xyphoïdeam extrinsecus pellens, et ad umbilicum usque descendens. Tumor is durus. Initium ascitae. Oedema pedum. Febris nulla. Summo cum fructu decocto radicis leontodontis taraxaci, et ononidis spinosae, nec non pilulis ex sapone, felle taurino inspissato, et extracto resolvente usus est. Redeuntibus viribus unguentum oxydi hydrargyri griseum ad unciam dimidiam utiliter sensim sensimque abdomini illiniebatur; exhibito simul interne decocto ligni quassiae amarae. Moles hepatis ad dimidium imminuta tumorisque rematis consistentia longe mollior erat. Cum autem epistaxis ingrueret, hydrargyri usus omissus, et acidum nitricum exhibitum fuit. Cujus quidem remedii uncias septem cum drach-

ma una et dimidia, addita necessaria aquae et syrupi portione, intra mensis spatium magno cum emolumento assumpsit aegrotus. Etenim habitus corporis longe melior, nec cachexiam prae se ferens; epistaxis nulla; tumor hepatis longe minor; urina copiosa; appetitus ciborum bonus. Qua quidem rerum conditione praesente, iterum ad unguentum hydrargyri pervenimus. Verum ptyalismus et epistaxis recrudescentes, quominus usui hujus remedii inhaereremus, impedimento fuerunt. Infusum igitur radicis acori calami cum tinctura sulphurica aromatica exhibebantur. Aegrotus quamquam non omnino sanatus, tamen vegetus et alacris nosodochium reliquit.

Observatio III. Tres milites *ictero* laborantes cito et feliciter, sub usu sequentis formulae, ita porrectae, ut aegri quovis die bis terve alvum deponerent, ad sanitatem perducti sunt. ℞. Herbae menyanthis trifoliatae drachmas duas, Coq. c. s. q. aquae communis per horae quadrantem, colaturae librae unius adde sulphatis magnesiae unciam semis. Quartus aeger, ictero laborans, febre nosocomiali correptus periit.

Caput XV.

Diarrhoea. Dysenteria.

Diarrhoeam indolis rheumaticae, mensibus Septembri et Octobri 1806 regnasse, jam monuimus *). Huc pertinent duo leviora hujus morbi exempla, quorum tabula, de aegrotis paganis consignata, mentionem facit. Et dysenteriae sporadice tunc obvenerunt. Aegrotus, quem e tribus dysentericis, tunc temporis in nostrum institutum receptis, amisimus, summopere emaciatus ad nosocomium delatus jam secunda vice hoc ipso morbo laborabat. Secto cadavere gangraenam totius intestini coli deteximus.

Mensibus Januario et Februario 1807, vix diarrhoeae et dysenteriae obvenerunt. Mense autem Martio febres potissimum catarrhalis et typhodes in nosocomiis militaribus, alvi pro-

*) Cap. II.

fluvio partim seroso, partim cruento stipatae, conspiciebantur. Consensu fere omnium medicorum, hisce in nosodochiis artem tunc exercentium, profluvia hujusmodi, a frigore, cui aegri, qui alvi deponendae caussa sub dio versari cogebantur, sese exposuerunt, originem ducebant. Scilicet nosocomia plurima militaria, id quod in limine hujus voluminis monuimus, in monasteriis aliisque aedibus huic scopo ab initio non accommodatis, festinanter fuerunt aperta atque adeo plura in illis minus commode instituta. Mense Aprili alvi profluvia rarius observabantur, et si qua aegrotis molestiam creabant, facile opio, praecipue sub forma clysterum porrecto, sine damno cohibebantur. Silebant ea omnino mense Majo, Junio autem iterum diarrhoeae et dysenteriae ingruebant, quae mensibus Julio et Augusto, calidissima et quasi fervente tempestate insignibus, late per Lithuaniam grassatae, usque ad hyemem provectiorem saevierunt. Insignis numerus cum militum, tum civium, inprimis vero rusticorum, sex mensium spatio hisce a morbis trucidatus est. Vagabatur autem morbus per magnam imperii rossici europaei partem, aetati, sexui, conditioni nulli parcens.

Diarrhoeae, quibus prehensos triginta duos recepimus, dysenteriis longe pejores observabantur. Octo enim aegri, qui illo ex morbo periere, fluxum coeliacum, nec non *lienterias* gravissimas experti sunt, potissimum ex dysenteriis et diarrhoeis neglectis ortas. Liceat imaginem horum aegrotorum repraesentare, qualis erat, dum, peracto ut plurimum

longo itinere per regiones arenosas, radiorum solarium continua ob noctium brevitatem efficacia maximopere calidas, omni auxilio destituti, saepe adeo ieiunio triduo laborantes, clinico instituto committebantur. Corpus omnino emaciatum, singulae costae luculentissime sese visui offerentes; musculi sternomastoidei, funium instar, in collo conspicui; larynx prominens; defluvium capillorum, oculi quasi vitrei, profunde in orbitae fundum retracti, levis psorophthalmia, cum copiosa materiei puriformis ad angulum oculi internum secretione, quae fere lippitudinem referebat; nasus acuminatus, aures arrectae, extenuatae, arcus zygomatici prominentes, genae collapsae, profunde rubentes; lingua arida aut carni crudae similis; sitis inexplebilis; interdum fames; labia et dentes muco, sive crustis nigris obducti, faciei color terreus, tussicula aliquando cum pectoris dolore; musculi abdominales tensi atque ita versus posteriorem abdominis parietem retracti, ut manus medici explorantis distincte columnam vertebralem tangeret, alvum aegroti nunc voluntarie, nunc inscii nec certo numero adstrictam deposuerunt, nunc albidam, puriformem, nunc cibos potumve, quales fere assumpti erant, exhibentem; non raro ani prolapsus; cutis sicca, pergamena; pulsus frequens, debilis; urina pauca, profundo colore tincta. Pharmaca, quotquot contra diarrhoeas chronicas jactata sunt, sedulo adhibebantur, non neglecto regimine. At omnia incassum! Quam ob rem verissima, quae auctor *Epitomes de curandis hominum morbis* de diarrhoea chronica disserens protulit, uti sae-

pe alias, ita quoque hoc in casu edoctus sum: „Nullibi major est in morbis gravioribus remediorum penuria, quam in quibus insignis istorum copia solet venditari.“ Divitias extollit suas vel rerum exercitio destituta juventus, vel auri magis, quam scientiae ac sinceritatis amica plebs medica. Senectus, fronte rugis non minus quam lauri foliis cincta, ne imperfectae obsit incremento scientiae, veritatem, in qua sola gloriari fas est, cur reticeat, non habet *).“

Opium quidem, inprimis sub forma electuarii, cum aromatibus et adstringentibus nonnullis porrectum, alvi profluvio non raro obicem quidem, saltem aliquamdiu, obiiciebat, sed aegroti adeo non inde levabantur, ut potius, cohibita intestinorum levitate, symptomata enteritidis cum lethali singultu saepe orirentur. In aliis aegrotis ex eadem fere rerum conditione, praegressis cruciatibus abdominis, hydrops ascites originem sumsit suam.

Dysenteriae, modo non negligebantur, perniciosae neutiquam erant. Loquor enim de dysenteria, mensibus Majo et Junio regnante; nam tardius, praesertim mense Septembri, morbus hic magis rebellis evasit; quamquam et tunc temporis inter cives, modo recte tractaretur, exceptis tamen infantibus, cum successu pertractabatur. De contagiosa illius natura, quamvis omni adhibita diligentia, tamen certa eiusdem exempla investigare haud poteram, apud plures aegros vix ulla aderat; ac quamvis alvi dejectiones cruentae, cum tenes-

*) Vol. V. Parte secunda pag. 484.

mo stipatae, copiosae essent, et facies aegroti de insigni morbi gravitate saepius medicum certiorem redderet, tamen aegri utplurimum maxima cum pertinacia, ut lectulo sese committerent, recusabant.

Optimam medendi methodum deprehendi, qua primum infusum radicis rhei palmati, cum mucilagine gummi mimosae niloticae, porrigebatur; cui remedio urgentibus abdominis torminibus, utiliter opii parva dosis adjiciebatur. Dein magnam sibi laudem promeruit radix columbo, quam hisce formulis pro re nata praescribebam. ℞. Radicis columbo drachmas duas, coque c. s. q. aquae communis per horae quadrantem; colaturae unciarum decem adde tincturae opii compositae guttulas quindecim, syrupi corticis lauri cinnamomii unciam unam. ℞. Pulveris radicis columbo grana decem, pulveris ipecacuanhae cum opio grana duo, florum macis grana quatuor: capiat omni bihorio vel tertia quavis hora aegrotus talem pulverem. Porro clystères ex cortice radicis quassiae simarubae optimos produxerunt effectus. Idem de balneis tepidis, praecipue ubi, quod saepius accidebat, symptomata haemorrhoidalia simul urgebant, dicendum.

Caput XVI.

Nephritis. Angustatio urethrae. Calculus vesicae urinariae.

Observatio I. Vir viginti septem annos natus, Veneri et Baccho nimis indulgens, plurimis noctibus insomnibus transactis, et refrigerium perpessus, die 6 Januarii ab horrore, quem calor excipiebat, et a magna virium prostratione correptus est. Sequente die vomitus biliosus, dolor ardens in regione lumborum, cum frequenti urinae excernendae conatu accedebant. Tertia die hisce symptomatibus dolores, ex lumbis ad inguina et crura descendentes, comites sese adjungebant, quarta autem testiculorum attractio. Delato aegroto sequenti mane ad clinicum praeter enarrata, faciem rubram, oculos splendentes, pulsum 130, contractum, non debilem, calorem cutis amoenum, abdomen molle, urinam tinctam, saepius quidem, sed sine incommoditatis sensu excretam, observavimus. Examinata re-

num regione, nil morbosi invenimus. Declarato morbo pro *Nephritide* et venaesectione ad uncias decem instituta, decoctum radicis althaeae officinalis exhibuimus. *Die sexta morbi.* Sanguinis superficies crusta inflammatoria obtecta reperitur. Symptomata nephritidis imminuta. Pulsus 138 debilior. Alvus adstricta. Levis infusio foliorum cassiae sennae, cum succo inspissato fraxini orni porrigitur. *Septima.* Remedium purgans quamquam non sine abdominis doloribus efficax fuit, tamen morbum magnopere levavit. Insequebantur epistaxis et sudor. *Die octavo.* Aeger ad sanitatem redit. Bene valens instituto clinico die 18 Februarii valedixit.

Observatio II. Vir quadragesimum aetatis annum agens, die 13 Februarii inter clinici instituti alumnos receptus est, dolorem penis, praecipue sub lotii depositione quamquam difficili, non omnino tamen impedita, per quatuor iamiam hebdomadas durantem, accusans. Si adfirmanti aegro fides habenda, nec blennorrhoea, nec vitia haemorrhoidalia praegressa erant. Deerant quoque symptomata calculi vesicae urinariae. Examinata autem urethra ope cereoli, *angustatio* sub arcu ossis pubis, attactum respuens, detegebatur. Excipiebat hanc explorationem paroxysmus quasi febris intermittentis. Nihilominus applicatio cereoli post aliquot dies iterum in auxilium vocata est tanto cum successu, ut aeger sanatus die 23 ejusdem mensis nosocomium derelinqueret.

Epicrisis. Blennorrhoeae praegressae nulla indicia, citaque morbi sanatio spasmo-

dicam potius urethrae angustationem, quam eam, quae ex callositate membranarum oritur, indicare videntur.

Observatio III. Puer decem annorum, a prima infantia difficultatibus urinae cruciatus, in nosocomio sororum misericordiae remediis diureticis sine symptomatum levamine pertractatus, die 29 Octobris in clinico instituto contra retentionem urinae, quae cum involuntario ejusdem stillicidio complicata erat, opem quaesivit. Vesica praeter modum distenta, regionem scilicet umbilicalem superans inveniebatur. Applicationem catheteris jussimus, qua facta praesentia *calculi in vesica urinaria* detecta et larga lotii copia educta est. Die 14 Decembris aeger operatione chirurgica ad methodum *Cl. Dubois* a Doctore *Niszkowski*, in rebus medicis et chirurgicis versatissimo, feliciter a calculo, magnitudinem nucis avellanae, formamque colli urethrae referente, liberatus fuit. Aeger urinam altera iam die per urethram emisit. Die 21 Decembris apyrecticus erat, et die 26 ejusdem mensis, penitus sanato vulnere, convalescebat. Prospera utens valetudine die 4 Januarii dimissus fuit.

Caput XVII.

Retentio menstruorum. Puerperium. Metritis. Galactorrhoea.

Exempla retentionis menstruorum et puerperii in clinico instituto pertractata, utpote haud memorabilia, silentio praetereuntur. Ita et metritis mitis, balneis, fomentationibus et opiatis sanata. Omnino vero sequens galactorrhoeae exemplum animi attentione haud indignum est.

Observatio. Rosalia Orlowska, viginti octo annos nata, valetudinaria, rite tamen menstruata, si catamenia semel per triennium suppressa exceperimus, matrimonio duos aute annos inito, paulo post gravida facta est. Septimum graviditatis mensem feliciter attigit, nullis aliis incommodis, quam quae graviditati propria sunt, obnoxia. Hoc vero tempore cum ira excandesceret simulque magnum pondus elevaret, infantem quidem vivum, brevi vero post mortuum peperit. Lochia bene procedebant. Suo tempore lac in mammis comparebat, adeo copiosum, ut continuo stillicidio, non

sine emaciatione corporis et virium imminutione, effluereat. Quae quidem rerum conditio, menstruo fluxu penitus silente, per tres menses duravit; quo tempore, cum nova graviditas locum haberet, omnino lactis secretio supprimebatur. Sexto graviditatis mense, ex lapsu, denuo partum praematurum filii mortui enixa est. Iterum praegrande lactis profluvium, per aliquot menses protractum, secutum est. Cui quidem galactorrhoeae finis non nisi tunc impositus est, cum menstruus fluxus ter suo quisque tempore rediisset. Tandem tertia vice gravida nonum mensem feliciter attigit, peperitque ipsis calendis Januariis 1807. Prole autem quarto iam die extincta, denuo copiosissima lactis secretio, quae mammarum dolorem et tumorem comitem habebat, insecuta est, ad diem, qua aegra in clinicum susceptа est, decimam sextam ejusdem mensis, protracta. Lochia spatio duarum hebdomadum fluxere. Mammae non admodum quidem tumidae, sed variis in locis tumoribus subduris refertae, conspiciebantur. Papillae vero utraque in mamma praeter modum prominebant, rubebant, calebantque. Fere continuo lac ex iis stillabat, praesertim sub motu brachiorum. Copia ejus spatio nychthemeri tres uncias superabat. *Gustui praeter modum dulce videbatur lac.* Pulsus debilis, caeterum normalis. In universum aegrota nonnisi de pectoris et lumborum doloribus nec non de tussi sicca, conquerebatur, singulisque noctibus profuse sudabat. Menstrua, quae post aliquot dies supervenere, nihil immutavere. Lac ab aegra nostra collectum, ita ut si-

mul cum lacte feminae sanae, quae eodem fere tempore partum ediderat, analysi chemicae subjectum est, compararetur. E qua quidem comparatione hoc palam factum est, ut lac morbose secretum longe minorem copiam cremoris lactis et casei contineret, contrarium autem de sacchari lactis quantitate haberet locum. Quum enim auctor hujus analysis, Dr. *Czeretowicz*, qui professori chemiae hac in Universitate in subsidium adjunctus est, ex libra una lactis sani drachmas tantummodo tres sacchari lactis crystallisati obtineret, obtinuit uriciam dimidiam ejusdem ex eadem quantitate lactis, a femina galactorrhoea laborante desumti *).

Quod curam aegrae hujus attinet ut brachia, quibus praeterea corticem daphnes mezerei applicari iussimus, parum moveret, suasimus. Mammae suspensorio suffulciebantur. Victus cum animalis, tum vegetabilis, facilisque digestionis, suppetitabatur. Ad duritiem mammarum resolvendam, quid murias hydrargyri valeret, experiri voluimus; verum ob prodroma salivationis signa ab hoc remedio statim abstinere coacti fuimus. Optime aegrae lenia purgantia, et diuretica conduxere, et inter haec praesertim decoctum radicis ononidis spinosae. Optimae restituta valetudini, clinicum institutum die decima quarta Februarii dereliquit aegrota.

Epicrisis. Hoc exemplum affinitatem quandam, quae galactorrhoeam inter et diabetem mellitum intercedit, indicare videtur.

*) Dissertatio inauguralis medico-pratica de *Galactorrhoea*; auctore Ant. *Czeretowicz* Vilnae 1808. 8.

Vehementi autem animi dolore afficior, cum copiosiora, quibus haec affinitas magis magisque illustrari poterat, non susceperim experimenta. Inprimis victus, unice ex regno animali petitus, exhibendus erat, ut intelligeretur, an talis victus lactis dulcedinem aeque imminueret, ac urinae in diabete mellito.

Caput XVIII.

Epilepsia. Paralysis.

Observatio I. Puella, duodecim annos natâ, habitu floridc, sed scrophuloso quum tertio aetatis suae anno convulsionibus, quibus femina quaedam corripiebatur, in maximum terrorem incidisset, illico hemiplegia laborare coepit. Qui quidem morbus neutiquam impedimento fuit, quominus aegrotae corpus solito cresceret modo, modo exceperis unum hoc, ut extremitates lateris affecti, h. e. sinistri, breviores et quasi minus absolutae manerent. Anno decimo aetatis vix elapso priori morbo novus accedebat, epilepsia, quae quavis hebdomade aegrotam opprimebat, cujusque caussa detegi haud poterat. Inde autem nequaquum apparitio menstruorum, quae duos menses antea, quam in clinicum institutum recepta fuit, impedita est. Remedia fere omnia, quae in hemiplegia et epilepsia utiliter adhibentur, cum inde a prima utriusque morbi origine incassum usurpata essent, aegrotulam, observationis potius gratia, quam spe sanationis suffulti, inter clinici instituti aegrotos suscepimus. Per duos menses ibi mansit, quo tem-

pore primum nitras argenti, dein folia digitalis purpureae sine omni levamine exhibebantur.

Observatio II. Vir vigesimum quintum annum attingens, habituque corporis cachectico, qui aetate infantili, uti videtur, cum ad pubertatem pervenisset, scrophulis, dein vero lue venerea et febribus intermittentibus laboraverat, quum diu in summa egestate in cubiculo humido frigidoque vixisset, praegresso ingenti dolore primum ad dorsi, dein ad lumborum vertebras in imbecillitatem crurum, tandemque in paralysin extremitatum inferiorum incidit. Quinto circiter morbi mense, aeger ad clinicum institutum delatus est. Conquerebatur inprimis de dolore ab hypochondrio dextro incipiente et sese ad regionem iliacam ejusdem lateris extendente. Regio hepatica tactui aeque parum morbosi offerebat, ac columna vertebralis probe examinata. Urinae alvique excretiones naturales erant. Morbi hujus originem a rheumate derivantes, plurima remedia, sic dicta, antirheumatica, adhibuimus: sed incassum. Sola moxae ad latera vertebrarum lumbalium applicatio tam salutari cum successu adhibebatur, ut aeger, vix adhibito hoc remedio, extremitates prius immobiles libere movere posset. Quem quidem effectum cum repetita ejusdem remedii applicatione firmare cuperemus, accidit, ut clinicum institutum in nosocomium militare transmutari deberet. Coacti igitur fuimus aegrotum, vix aliquo modo sublevatum, nosodochio sororum misericordiae committere, ubi quae ipsius sors ulterior fuerit, nescimus.

Caput XIX.

Scorbutus. Lues venerea. Morbi chirurgici.

Ex militibus, qui *scorbuto* detenti, ad nosocomium nostrum deportati sunt, tres sanatos, unum mortuum, ceterosque translatos fuisse, tabula de aegrotis consignata docet. Aeger, qui obiit, potius ex typho, qui scorbuto iunctus erat, quam scorbuti efficacia periit. Octo scorbutici, me petente, ad aliud nosocomium, ruri stabilitum, delati sunt.

Luc venerea affecti, qui in clinico instituto pertractati sunt, prorsus nihil memoratu dignum obtulere.

Vir, aetate provectus, *tumorem lardaceum*, maximi voluminis, ad dorsum exhibuit. Suscepto aegro ad clinicum institutum, Cl^m. Doctor *Niszkowski* hunc tumorem, dexterrima manu, cultro, nulla subsequente haemorrhagia, excidebat. Pondere erat decem librarum. Aeger, qui prospera ceterum fruebatur valetudine, ob adventum aegrorum militarium ad nosocomium sororum misericordiae deportatus est, ubi a typho correptus obiit. Alter aeger vulneratus, fortuito ad nostrum nosocomium, morbis internis unice dicatum, delatus, iam altera die iterum dimissus est.

Observationes meteorologicae factae in Observatorio Imperiali Vilnensi a 1. *Septembris* 1806 *ad* 1. *Septembris* 1807.

Mensis 1806	Dies	Altitudo Barometri. Maxima.	Media.	Minima.	Mensis 1806	Dies	Thermometrum Reaum. calor Maxima.	frigus Media.	Minima.	Ventus.
		dig. lin.	dig. lin.	dig. lin.						
Septbr.	6. 9. 14. 20. 21. 25. 27.	. . .	28. 1,5.	. . .	Septbr.	1. 2. 3. . . .	$+21\frac{1}{2}$.	. . .	. . .	S. et S. E.
	12.	. . .	. . .	27. 9,9.		11. 29. . . .	. . .	+ 11.	. . .	
	30.	28. 5, 1.	. . .	. . .		30	. . .	. . .	$+0\frac{3}{4}$.	
October.	1. 30.	28. 2,8 .	. . .	. . .	October.	5.	$+14\frac{1}{2}$.	. . .	. . .	S. et S. E.
	9. 19. 21. 22. 25. .	. . .	27. 8,0.	. . .		9. 28. . . .	. . .	$+7\frac{1}{2}$.	. . .	N. et N. O.
	23.	. . .	. . .	27. 1,1.		16.	. . .	. . .	$-1\frac{3}{4}$.	
Novemb.	4. 7. 15. 16. 18. 20 25. 26	. . .	27. 8,0.	. . .	Novemb.	4.	$+7\frac{1}{4}$.	. . .	. . .	S. et S. O.
	8. 9. 28. . . .	28. 4,4.	. . .	. . .		7. 8. 18. 19. 30. .	. . .	$-0\frac{1}{4}$.	. . .	N. et N. O.
	30.	. . .	. . .	26. 11,7.		29.	. . .	. . .	$-7\frac{3}{4}$.	
Decemb.	3.	. . .	. . .	26. 5,7.	Decemb.	5.	. . .	. . .	$-6\frac{1}{2}$.	S. et S. O.
	4. 16. 26. 31. . .	. . .	27. 3,1.	. . .		7. 9. 11. 20. 28. 31.	. . .	$-0\frac{1}{4}$.	. . .	O. N. O.
	20.	28. 0,6.	. . .	. . .		19.	+ 6.	. . .	. . .	
Januarius 1807.	3. 7. 11. 15. 17. 29. .	. . .	27. 6,6.	. . .	Januarius 1807.	1. 6. 10. 23. . .	. . .	— 8.	. . .	N. O.
	14.	. . .	. . .	26. 9,6.		12.	$+3\frac{1}{2}$.	. . .	. . .	S. et S. O.
	26.	28. 3,6.	. . .	. . .		22.	. . .	. . .	$-19\frac{1}{4}$.	
Februar.	1. 17. 21. 24. 25. 27. .	. . .	27. 7,6.	. . .	Februar.	2. 5. 9. 25. 27. .	. . .	$-2\frac{1}{2}$.	. . .	S. S. O.
	10.	. . .	. . .	27. 2,0.		19.	+ 4.	. . .	. . .	et N. O.
	13. 15.	28. 1,3.	. . .	. . .		28.	. . .	. . .	$-8\frac{3}{4}$.	
Martius.	2.	28. 4,3.	. . .	. . .	Martius.	7. 12. 17. 23. 30. .	. . .	— 5.	. . .	O. S. O.
	8. 10. 14. 18. 21. 26. .	. . .	27. 9,7.	. . .		18.	. . .	. . .	$-15\frac{1}{2}$.	et N. O.
	6. 15.	. . .	. . .	27. 3,1.		27.	$+5\frac{3}{4}$.	. . .	. . .	
Aprilis.	2. 10. 21. 29. . .	. . .	27. 8,8.	. . .	Aprilis.	5. 6.	. . .	. . .	$-3\frac{3}{4}$.	S. et S. O.
	17.	. . .	. . .	27. 2,1.		9. 10. 15. 23. 29. 30.	. . .	+ 5.	. . .	N. E. et N. O.
	23. 24.	28. 3,5.	. . .	. . .		16.	$+13\frac{3}{4}$	. . .	. . .	
Majus.	2. 6. 12. 19. 22. 24. 28.	. . .	27. 9,7.	. . .	Majus.	2. 3. 5. . . .	. . .	. . .	$\pm$ 0.	N. et N. O
	8.	. . .	. . .	27. 4,7.		6. 7. 13. 16. 20. 22.	. . .	+ 9.	. . .	S. et S. O.
	17.	28. 2,7.	. . .	. . .		28.	+ 18.	. . .	. . .	
Junius.	1.	28. 1,8.	. . .	. . .	Junius.	1.	. . .	. . .	$+4\frac{1}{4}$	N. E. et N. O.
	22. 25. 29. . .	. . .	27. 8,9.	. . .		4. 12. 15. 22. . .	. . .	$+13\frac{3}{4}$.	. . .	S. O. et O.
	24.	. . .	. . .	27. 4,0.		18.	$+23\frac{1}{4}$.	. . .	. . .	
Julius.	3. 5. 9. 11. 26. . .	. . .	27. 10,8.	. . .	Julius.	9. 12. 16. 23. 24. .	. . .	+ 14.	. . .	N. O. N. E.
	10. 16. 18. . .	. . .	. . .	27. 7,9.		11.	. . .	. . .	$+6\frac{1}{4}$.	O. et S. O.
	31.	28. 1,8.	. . .	. . .		14.	$+21\frac{1}{2}$.	. . .	. . .	
Augustus	2. 6. 9. 11. 12. 16. 19. 23. 26.	. . .	28. 0,5.	. . .	Augustus	9.	$+26\frac{1}{4}$.	. . .	. . .	S. S. O.
	7.	28. 2,8.	. . .	. . .		10. 15. 24. 29. 30. 31.	, . .	+ 17.	. . .	N. N. O.
	4. 15.	. . .	. . .	27. 10,3.		17. 18. . . .	. . .	. . .	+ 8.	